8.55.33

F E C



O C

CENTRALE V. E. II

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
55 B
M 3
ROMA

1253.
A. 6. 20

157 f 2

Google

855. B. 3

Digitized by Google

Digitized by Google

MENSA COELESTIS

Ex fœcundiſsimo SS: Patrum Promptuario

INSTRVCTA.

Bibliothecæ S. Transpontinæ.

Ab Admodum Reuerendo Patre

SERAPIONE KNYPER

S: THEOL: MAGISTRO:

Priore Prouinciali Poloniæ, & M. D. Lithuaniæ, &c. Ord: Carmelitarum Antiquæ Regularis Obſeruantiæ.

ROMA

Fratribus ac Patribus ſuæ Prouinciæ

APPOSITA.

CRACOVIÆ,

Typis BALTHASARI SMIESZKOWIC, *Typ. A.D. 1665.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Admodum Reuerendo Patri,

P. SERAPIONI KNYPER,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO, Priori Prouinciali Poloniæ, & M. D. Lith: Mecœnati ſuo colendiſſimo.

Fratres, ac Filii Conuentus Cracouien.

Per P. ELIAM SMVCZEWICZ, S. Th. Curſorem P. F.

COeleſtem, quam Ouibus tuis Vigilantiſsimus Paſtor, apponis Menſam Tibi primum dicandam, in Tuoq́ ponendam ſinu, filialis præcepit amor, ſuaſit audacia, A. R. P. Mag. Prouincialis. *Decebat namq́ vt huic, ad quam nos conuocaſti, præſideres Menſæ; Illos, quos iam plenius degustaſti, guſtandos alijs propinares cum Pſalmiſta, Cibos. Conuolabat quondam ad ſuperbas ſuorum Regum Menſas, effuſa Perſarum multitudo, feſtiuum ſingulis annis inter lautiſsimas epulas agebat diem. At feliciora nobis redeunt tempora, profuſa magis Tua in nos* P. Adm. Reu. *diffunditur Liberalitas, feliciori omnes ad hanc Angelicam Menſam properamus paſſu, non vna tantum vnius Anni die, ſed ſingulis cuiuslibet Anni diebus. Splendebāt in illorum Menſis totius Orbis impenſis appretiata*

 fercula,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

fercula; Pretioſiora in hac Videre Menſa, vbi prodiga ipſius Cæli pietas, vniuerſam erogauit ſubſtantiam. Apponebantur ibi emortui conuiuantibus Panes; hîc Panis Viuus & Verus, qui de cœlo deſcendit. Superbo illic faſtu, quidquid vel natura benigno fouebat ſinu, vel maternis terra nutriebat Vberibus, mortalium parentabatur luxuriæ; Vnus hîc pro omnibus Agnus; Agnus inquam, qui ſentibus humanitatis noſtræ ſeptus, ab Abrahamo immolatus, igne amoris in ligno exuſtus, pias omnium fidelium ſaginat mentes, impinguat animam. Abundabat ibi vinum, ſed illud, quod gignit corruptionẽ, parit dolores; vinum hîc, ſed germinans Virgines, lætificans cor hominis. Quicunq; de illa menſa manducauerunt, mortui ſunt, quiſquis de hac participat, non morietur in æternum. Vtere igitur quã Tu nobis apponis, nos Tibi præſentamus menſâ: Cæleſtem enim virum, cæleſtis portio decet: Gloriare feliciter, imò felicius quam olim Spartana Ciuitas, quæ ſuo Senatori recens creato, dulciter modulabatur dicens: Hac te menſa Ciuitas honorat. *Tu dicito, & nos dicemus:* Hac vos menſa Pater veſter honorat. *Te igitur Præſide curremus omnes, Guſtabimus, & videbimus, noſtrumq; agnoſcemus Paſtorem.*

SPE-

SPECVLVM SACERDOTVM.

O Sacerdotes! Si anima cuiuslibet iuſti ſedes Dei eſt, multo magis ſedes & templum Dei eſſe debetis mundum & immaculatum. Si Sepulchrum eius glorioſum eſt, in quo Corpus iacuit exanime; glorioſiora & digniora eſſe debent corpora Veſtra, quæ à morte ſuſcitatus, quotidie dignatur inhabitare. Si beatus eſt Venter, qui nouem Menſibus Chriſtum portauit; ita etſi non tantum, tamen beata debent eſſe corda Veſtra, in quibus quotidie elegit ſibi hóſpitium Filius Dei. Si beata ſunt vbera quæ parvulus ſuxit; ita debet eſſe os beatum, quod carnem eius ſumit, & ſanguinem ſugit. Carnes ergo Veſtras cum timore eius configite, & vobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ vocat de cælo Filium Dei; contra Dominum loquatur. Et ne manus quæ intinguntur ſanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccati. S. Auguſt. ſerm. 37. ad Fratres in Eremo.

D. Gregor. homil. 17. in Euang. tom. 3. Nullum puto Fratres chariſſimi ab aliis maius præiudicium, quàm a Sacerdotibus tolerat Devs, quando quos ad aliorum correctionem poſuit, dare ſe exempla prauitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus.

Digitized by Google

Et S. Chryſoſtomus. Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: Multi in nomine, & pauci in operè. Videte ergò quomodo ſedeatis ſuper cathedram: quia Cathedra non facit Sacerdotem, ſed Sacerdos Cathedram: non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. Qui benè ſederit ſuper Cathedram, honorem accipit ab illa: qui malè ſederit, iniuriam facit Cathedræ. In iudicio enim ſedes: Si benè vixeris quidem & bene docueris, omnium iudex eris: ſi autem benè docueris & malè vixeris, tui ſolius. Nam benè vivendo, & benè docendo, populum inſtruis, quomodo debeat viuere: benè autem docendo, & malè viuendo, inſtruis DEVM, quomodo te debeat condemnare.

S. Hieronymus. Clamat Veſtis animi honeſtatem, clamat Status puritatem, clamat Profeſſio Religionem, clamat officium deuotionem, clamat ſtudium contemplationem.

CLAVES

CLAVES AVREÆ
Charitas & Contritio,

Clauis Charitatis.

O Magne DEVS, te amo ſuper omnia, te diligo ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis, ac firmiſſimè propono; omnia mandata tua implere, omniaque te aſpirante peccata vitare. Non alia cauſa, quam ob immenſam perfectionem, incomprehenſam potentiam, altiſſimam Sapientiam, infinitam bonitatem tuam: ſiue propter te ipſum, & quia omni amore dignus es, ô Pater! ô Fili! ô Spiritus Sancte! ô Sanctiſſima Trinitas! ô Deus meus & omnia.

Vſus Clauis Contritionis.

DOmine JESV CHRISTE, Fili Dei & Immaculatæ Virginis Mariæ, Deus ante ſæcula, qui abundantia excellentiæ, pul-

chri-

chritudinis, potentiæ, diuitiarum, beatitudinis, & omnimodæ perfectionis tuæ, in immenſum excedis vniuerſa. Domine infinitæ Sapientiæ, Bonitatis & Sanctitatis, Gratiæ & miſerationum, Fons omnium bonorum, Creator ac Redemptor meus, qui me ineffabilitèr dilexiſti, & temetipſum pro me tradidiſti, vſque ad mortem, mortem autem Crucis.

Amo te bone JESV ſuper omnia ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ſummè gaudeo, de incomprehenſibili Omnipotentia, excellentia & bonitate tua; maximèq; deſidero, vt ab vniuerſa creatura intellectuali cognoſcatur, ametur, & honorerur infinita Bonitas & Excellentia tua.

O ſi poſſem ego viliſſima creatura placere diuino cordi tuo, & declarare amorem meum, non tantum affectu & verbis, ſed re ipſa & effectu: potiſſimùm perfecta adimpletione ſanctiſſimæ voluntatis tuæ.

Proteſtor millies quod te amem DEVS meus, & libenter vellem te amare ea intenſione ac perfectione amoris, quâ te amant omnes

omnes Angeli & Sancti tui, quia tu propter temetipſum dignus es omni amore.

Et quia te ita amo, intimè ex toto corde doleo, quod te aliquando peccatis meis offenderim, & parui fecerim te Dominum tantæ bonitatis, faciendo ea quæ diſplicent oculis tuis, & quæ infinitè abominatur diuinum cor tuum. Doleo millies, imò infinities, vellemq́; ea omnia quibus offendebatur bonitas tua facta non fuiſſe. Quis mihi det fontem lachrymarum, vt dignè defleam inſipientiam & malitiam meam?

Propono in poſterum firmiterq́; ſtatuo, nunquam tuam offendere Maieſtatem, ſed in omnibus implere ſanctam voluntatem & mandata tua.

Pro commiſſis autem meis peccatis, volo ſeriò pœnitere, congruo tempore confiteri: impoſitamq́; à Sacerdote pœnitentiam fideliter implere.

Nunc verò in ſatisfactionem, & exolutionem grauiſſimarum culparum mearum, offero tibi id, quod habeo pretioſiſſimum, tuum ſcilicet Sanguinem ſanctiſſimum,

quem

Digitized by Google

quem amore mei copioſè fudiſti, & inexhauſtum theſaurum inſinitorum meritorum tuorum, in quorum vnione offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, & quidquid aliquando ex voluntate tua, pro peccatis meis, & pro gloria ſanctiſſimi Nominis tui arduum & difficile tolerauero. Confido in infinita bonitate & miſericordia tua, quod dimittas mihi miſericorditèr vniuerſa peccata & delicta mea; per & propter eundem pretioſiſſimum Sanguinem tuum, & amariſſimam Paſſionem tuam concedes mihi gratiam, vt vitam meam emendem, neque te deſeram ad ſupremum vitæ meæ terminum,

Amen.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONES
ANTE CONFESSIONEM,
Actus Contritionis S. Theophili.

QVò ibo ego miſerabilis, niſi ad CHRISTVM bonum meum, quod inhonoraui? Hoc ſcio & confiteor, quod tua bonitas tanta ſit, vt nolit perdere opera manuum ſuarum. Reſpiro & viuo ex conſideratione, quod tu ſis totus bonus, & non cupias me deſtruere. Nihilominùs hoc ipſum cruciat cor meum, quod iniuriam intulerim bonitati tam miſericordi, quæ merebatur, vt tibi Deus meus, in omnibus deſeruirem.

Actus Contritionis S. Pelagiæ confitentis.

DEVS meus & Saluator meus, ego ſum mare & abyſſus iniquitatis. Tu benignus, concede huic viliſſimæ creaturæ beneficium tuæ redemptionis. Tu recepiſti Magdalenam, & condonaſti Samaritanæ, recipe ſimiliter miſerabilem hanc animam meam intra brachia tuæ miſericordiæ. Agno-

Digitized by Google

ſcit conſcientia mea, quod culpæ meæ numero ſuo ſuperant arenam maris: quid tamen ſunt comparatæ miſericordiæ tuæ? Tu Domine in terram deſcendiſti, vt verſareris cum Publicanis & peccatoribus; vide in me ſpeluncam draconibus refertam, ſed obſecro, tu eam effice hortum deliciarum æternarum, in quibus exalteris & glorificeris. Hoc volo, hoc deſidero, vt nota fiat tua potentia, & vt manifeſtum fiat, te eſſe ſummum bonum, nec vllum à te derelinqui.

Actus doloris S. Mariæ Neptis S. Abrahæ Confeſſoris.

HEu me miſerabilem! heu me quia profanaui templum Dei! eheu deturpaui ejus imaginem, & rupi fœdus in baptiſmo initum, & vota millies in vita facta! propter viliſſimam voluptatem, auerti oculos â Deo meo & omnem eius ſubſtantiam vendidi. Heu me quia peſſumdedi omne id quod comparaueram per tot Saeramenta & bona opera! Quibus deinceps oculis cæium aſpiciam, cum iſti quos habeo toti contami-

nati

Digitized by Google

nati ſint ex aſpectu malitiæ? Quibus labiis, quâ linguâ ſupplicabo illi puriſſimæ Majeſtati, cum ſint maculata & deturpata tam fœdis culpis. Ad Deum quali cum corde accedam? Quomodo loquar cum legem eius conculcârim, cum promiſſa ei facta violarim?

Heu me, quò me vertam! O ſi me mors ante rapuiſſet, quàm talem malitiam committerem contra diuinam Majeſtatem! Quis lachrymarum fons poterit eluere tot & tantas maculas? A quantis bonis excidi? In quanta mala incidi!

Quid tibi accidit anima mea? quomodo me tantoperè elongaui á te Deus meus? quomodo te dereliqui? conuerte te ad me ô Deus meus, & amor meus: tu enim es qui me quæris. Parce mihi amantiſſime Pater propter id quod es: elue meas maculas ſanguine JESV Chriſti, Sic, ſic non inuenietur in me fœditas quæ tibi diſpliceat. Da vt in te reſpirem. Libera me à tàm profunda miſeriæ abyſſo, vt ſemper cantem gloriam tuam, Amen.

Ex vita

Digitized by Google

Ex Vita & pœnitentia S. Guilielmi, & quædam ex vita S. Dorotheæ.

HEu mihi, Pater mi, Pater mi, peccaui in cælum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed neque mercenarius, quia relicto pane filiorum, miſerum ventrem ſiliquis porcorum oneraui: ego miſer homo incidi in latrones, qui percutientes vulnerauerunt me, & ſuſtulerunt à me pallium diuinæ ſimilitudinis: ſed rogo te Pater mi, ſuſcipe me de Ægypti partibus reuertentem, & reduc ad paſcua deſerti ouem aberrantem: ſi enim iniquitates obſeruaueris Domine, major eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear; peccaui enim ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata nimis ſunt peccata mea: at quoniam miſericordiæ tuæ Chriſte non eſt numerus neque finis; Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſana me medicamento pœnitentiæ, vt non vadam ad interitum neque deſcendam in corruptionem, ſed euadam laqueos inimici, & in tua

boni-

Digitized by Google

bonitate ſalvus fiam : fac Domine, mecum ſignum in bono, vt quod per tuam gratiam feruenter incepi, felici ſtudeam perſeuerantiâ complere, & de bono in melius certatim feruere : doce me Domine per Spiritus tui vnctionē cæleſtia diligere, cui jam inſpirâſti terrena deſpicere : quoniam tu es Deus Deorum, & Dominus Dominorum regnans & imperans per ſæcula.

DEVS, qui dixiſti nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat ; Domine JESV Chriſte qui dixiſti ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, plus gaudij haberi in cœlis. quàm ſuprà nonaginta nouem juſtis, qui non peccauerunt ; Chriſte JESV, cui nullum eſt immedicabile vulnus ; qui ideò Saluator diceris, quia ſalutem reddis ; ideò Redemptor, quia redimis ; ideò Liberator, quia liberare non ceſſas ; ſuſcipe pœnitentiam inutilis hujus ſerui tui, & oſtende pietatem tuam erga miſeram hanc creaturam quam tibi conatus eſt auferre & prædari Diabolus : reuoca ouem perditam ad gregem

gem tuum ô Paſtor æterne,& exemplo meo redeant ad te qui diſceſſerunt à te; Domine & Pater benigniſſime, qui in filio perdito & recuperato lætaris, occurre benignus in complexum meum, accipe pœnitentiam meam & da veniam te inuocanti, quoniam clemens & ſuauis in ſæcula tu es. Amen.

Ex L. Bloſio.

HEu Domine Deus meus, quam miſer peccator ego ſum, in quo vitia adhuc ita vivunt? Putabam omnem immortificationem jam in me extinctam ſepultamq; eſſe; ſed ecce iterum grauem rebellionem ſenſi, iterum lapſus ſum & læſus, iterum offendi: non tamen deſpero de tua pietate miſericordiſſime Deus, neque vnquam per gratiam tuam deſperabo: quin & me & omnia pro tui amore rurſum relinquere paratus ſum, atque relinquo.

O Domine Deus, ego pauper & egenus ſum, fragilis & peccator, ex me nihil ſum, nihil poſſum; ſed ego me tibi totum committo ac reſigno, totumq; in cruenta vulne-

ra tua

ra tua me lauandum immergo; miſerere mei DEVS, & adiuua me; Ablue me piè IESV pretioſo in ſanguine tuo, & ab omni peccato emunda, perfectéq; ſana, vt tibi placeam; Domine DEVS en culpam agnoſco, & ad te confugio, proijcio meas omnes iniquitates & negligentias, in abyſſum miſerationum tuarum; Renuntio omnibus quæ tibi diſplicent, & quidquid tu non es, relinquo: propono per tuam gratiam corrigere me; in te ſpero clementiſſime DEVS, & tuam illam amabilem dexteram, quæ me cadentem ſemper excipit, deoſculor; ignoſce fons miſericordiæ, & inter brachia tua amoroſa me ſuſcipe; redde me per omnia tibi deinceps placentem, & vnum fac tecum, vt delicias tuas adhuc in me, qualis qualis ſim, habere poſſis, & miſericordias tuas cantem in ſæculum, & in ſæculum ſæculi,

A M E N.

ORATIONES

Quarum ſingulæ ſunt Actus Contritionis.

I.

AD DEVM PATREM.

DEvs meus diſplicet mihi, quod te offenderim, quia tu es Devs meus & omnia: quem amo, & reuereor ſuper omnia. Nunquam ab hac hora in æternum te offēdam, ſtatuoq; firmiter, quod velim omnes peccandi occaſiones fugere. In ſatisfactionem præteritorum peccatorum, offero tibi vitam meam, quidquid in me eſt, & erit. Tu ſuſcipe in vnione meritorum acerbiſſimæ mortis Iesv Chriſti Filij tui Domini noſtri, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti, per ſæcula, Amen.

II.

Coram Crucifixo.

IEsv mi, tu pendes ab hac Cruce nudus, vt ego regia purpura tui pretioſi ſanguinis, me in regem veſtiam, venio vt filius prodigus è regione longinqua: peto; ſpero ſtolam, ſtolam gratiæ, & annulum per quem

anima

anima mea tibi deſponſetur: O ſi nunquam perdidiſſem meum Sponſum, & Patrem tam amantem & amabilem. Nunquam in æternum à te recedam, quia tu es DEVS meus & omnia.

III.

QVo ibo, niſi ad te ô bone IESV? ſuſcipe me per viſcera miſericordiæ tuæ: per tuum ſanguinem & lachrymas. Propter amorem quo te tenerrimè amo, nolo amplius te offendere aut contriſtare, ne in rebus quidem viliſſimis. O bonitas infinita! ô amor optime! non audeo velut alter publicanus oculos in cælum tollere: cum MAGDALENA lachrymis lauabo ſacros pedes, & millies deoſculabor. DEVS meus es tu: Saluator meus, auxilium meum, ſalua me, quia hoc erit tibi glorioſum, vt exaltetur nomen tuum.

Oratio S. Theophili pœnitentis, ad Beatam Mariam Virginem.

SVſcipe in te ô Virgo hoc onus protegendi. Quomodo defigam oculos in eum,

quem tantopere offendi, niſi prius Dominã placaueris iuſtiſſimam eius indignationem? Es potentiſſima & valde miſericors. Progredere obuiam, & brachijs apertis excipe accurrentes ad tuam pietatem.

Offendi te & Filium tuum: ſciò tamen quod multi alij peccatores confitendo peccata ſua impetrarunt, te mediatrice honorem & gratiam, quam perdiderant: Tu es eadem ſemper; ego ſum quod illi fuerunt.

O Conſolatrix afflictorum, protectrix fugientium, baculus noſtræ infirmitatis, quæ ſemper exaudis opertos ſceleribus, ad te confugientes. Intercede pro me ad Filium tuum, & omnia ad meum fluent votum. Filius tuus miſericors eſt, & nihil eorum amore tui negare poteſt, quæ te mediatrice petimus.

Non me deſpice ô MARIA! Reſpice lachrymas meas, confirma propoſita mea, ô Adiutrix mea, & refrigerium meum. Tu es mihi porta ad miſericordiam, per te ingrediar: Tu es ſpes mea, tecum & per te ſperabo.

Ora-

Digitized by Google

Orationes quæ poſſunt dici immediatè ante Confeſſionem.

DEvs qui corda ſcrutaris & renes, miſerere nunc peccatricis animæ meæ, eiuſque clementer & vincula ſolue, & vulnera ſana; da cordi meo contritionem, & oculis meis fontem lachrimarum, vt cum humilitate & puritate cordis, meas omnes iniquitates, & negligentias dignè defleam, paſſionisq; tuæ fructum efficaciter in anima mea ſentiam, & conſequar; illumina me Chriſte, adiuua memoriæ meæ fragilitatem; & defectus omnes, quos confiteri me oportet, in veritate mihi oſtende, vt plenè & contrito corde ipſos explicare, & confiteri valeam, & vna cum extrema Sacerdotis abſolutione, anima mea remiſſionis, & conſolationis dulcedinem internè ſentiat, Amen.

Alia.

PAter miſericordiarum, & DEVS totius conſolationis, ecce ego proſtratus ante te acerbiſſimè doleo, quod offenderim te Creatorem ac Redemptorem meum. Confidens verò in miſericordia tua, volo inte-

grè omnes iniquitates meas confiteri, vitamq́; ſeriò emendare. Adiuua Domine DEVS pauperem hanc animam, pretioſiſſimo ſanguine Chriſti redemptam. Et tu Virgo glorioſiſſima Mater DEI MARIA, interueni pro me. Vos Sancti Patroni mei N. N. omneſq́; cæli ciues orate pro me peccatore. Et quia ego non ſum ſufficiens ad impetrandam hanc gratiam; rogo te mi Sancte Angele Cuſtos, vt offeras hãc bonam voluntatem meam, vt hanc confeſſionem perfectè faciam ad laudem & gloriam DEI, & ſalutem animæ meæ, Amen.

Ex Alcuino ad B. Mariam Virginem.

ROgo te nunc piiſſima Mater & Virgo MARIA, vt pro me intercedere digneris ad Dominum cum omnibus ſanctis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus, vt DEVS omnipotens nunc dare & infundere mihi dignetur ſapientiam perfectam, indulgentiam veram, & virtutem animi conſtantem, ad confitendum veraciter ex intimo corde peccata mea; & iuua

me,

Digitized by Google

me, vt hoc perficere poſſim ad Filij tui gloriam, & meam ſalutem; quatenus per hoc reconciliationis SACRAMENTVM, particeps meritorum mortis amantiſſimi Filij tui effectus, & in ſanguine ipſius purificatus, & totus conſolatus, hinc totus & renouatus éxurgam, nihilq́; remaneat amplius in me, quod puriſſimæ Maieſtatis eius, aut tuos Virgineos oculos offendere poſſet. Ora pro me MARIA, & Filio tuo, bona pro me loquens, me præſenta, & reconcilia, Amen.

ORATIONES

POST CONFESSIONEM.

SIt tibi Domine obſecro, meritis Beatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ MARIæ, & omnium Sanctorum, grata & accepta iſta Confeſſio mea, & quidquid mihi defuit, nunc, & alias de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas, & miſericordia tua; & ſecundum illam digneris me habere plenius, & perfectiùs abſolutum in cælo. Qui viuis & re-

gnas in Trinitate perfecta Devs, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia ex Alcuino.

SVſcipe Confeſſionem meam, Domine Devs, vnica ſpes ſalutis meæ; & tu qui iuſtificas impios, & viuificas mortuos, viuifica me, & iuſtifica me Domine Devs meus: tu ſcis Domine, quod dolor mihi eſt ingens in corde, ſuper tantis quæ contra te perpetraui malis, quodq́; bonam habeo voluntatem vitam meam emendandi, in quantum me tua miſericordia dignabitur adiuuare: tu ergo Domine, qui non vis mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat; qui dignatus es dicere, in quacunq́; hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius; & qui ad peccatorum confeſſionem, me trahere dignatus es; da in merito tuæ paſſionis & mortis, fructum remiſſionis peccatorum quem ſperaui me conſequi; da etiam mihi virtutem continendi me deinceps à malis operibus, & miſerere animæ meæ; vt ſalua fiat, & in æternum non pereat: parce

& re-

Digitized by Google

& remitte piiſſime DEVS; dele omnia peccata mea præterita, præſentia, & futura, & perduc me, & introduc in vitam æternam.

Adiuuent me nunc, IESV piiſſime, Matris tuæ benedictæ MARIæ, & Sanctorum omnium merita, vt dignus efficiar, cui mortis tuæ meritum, & copioſiſſima tua ſatisfactio applicetur; da, vt depoſita peccatorum vetuſtate & peruerſa conſuetudine, nunc in vitæ nouitate reſurgam, & conſiſtam, peccandi occaſiones deuitem, & de virtute in virtutem proficiens, in bonis operibus perſeuerem, donec eò perueniam, vbi perpetua erit confeſſio, non peccatorum quæ amplius non erunt, ſed laudis mirabilium circa nos operum tuorum, quæ tunc manifeſtè patebunt, Amen.

Digitized by Google

EXERCITIVM ANTE SACRAM COMMVNIONEM, VEL CELEBRATIONEM.

Continens varias & ſelectas ex varijs Authoribus Orationes, ex quibus aliquas pro opportunitate & deuotione, Sacerdos dicere poterit.

Quid faciendum ſit Celebraturo?

Dirige Intentionem ſic;

VEre Domine in te ſolo totum eſt, quod ſatiare poſſit cordis mei deſiderium. Proindeque nunc accedens ad menſam Conuiuij tui, ex omni affectu cordis mei, feruore, & deſiderio, deſidero, vt hoc tam grande, tuæ admirabilis potentiæ & bonitatis SACRAMENTVM ſuſcipere poſſim, in laudem & gloriam Maieſtatis tuæ: in memoriam Sacratiſſimæ Incarnationis, vitæ, paſſionis,

Digitized by Google

ſionis, ac mortis tuæ. In gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficijs, & in propitiationem peccatorum meorum.

Excita Contritionem.

SEd hêu infelix ego homo! qui hactenus tam grauiter te DEVM meum offendi peccatis meis, quomodo hæc audeam? ideoq; nunc de ijs doleo ex intimo corde meo, ob amorem tui: tu verò ô DEVS meus, cor contritum & humiliatum non deſpicies; tu qui es ſcrutator cordium, miſerere in amaritudine animæ confitentis.

Exerce Fidem.

ECquidem credo firmiter, & viua fide confiteor, quia tu verè, & realiter præſens es in hoc SACRAMENTO, verus DEVS & homo; & quod ex amore noſtri hoc SACRAMENTVM, id eſt te ipſum nobis ad manducandum dediſti, vt nos ſaluos faceres.

Propone Spem.

IDeò ſpero in te, & magna fiduciâ, venio ad te, ô Domine: Quid enim negabis quem ſic amaſti, vt te ipſum dares? Aut, quod non dabis homini, cui teipſum dediſti?

Quomodo

Quomodo patieris vtiq; bone IESV, miſſi aliquid ad ſalutem deeſſe, qui te ſalutis au-ctorem recipiam.

Exerce Charitatem.

EXinde ſi tu dederis, tota virtute cordis mei in æternum te amabo, & ô vtinam per virtutem SACRAMENTI huius, tanta inter te & me coaleſcat amoris Vnio, vt nihil me ſeparare queat, à charitate tua, IESV mi dilectiſſime.

Confitere Humilitatem.

AT quid audeo? egone vilis creatura, vermis terræ, miſer peccator, & ſeruus inutilis, aſſociari Creatori, ac Domino debeo? non ſum dignus Domine; agnoſco, quia inops & pauper ſum, ideoq; humilio me ſub potenti manu tua. Tu verò ô Domine IESV, vt potè aduocatus & mediator meus, diues in meritis, miſerere mei: & ſuſcipe cauſam meam: & ex theſauro immenſæ charitatis tuæ, fer opem inopiæ meæ: & pretium Sanguinis tui, omniumquè meritorum tuorum, præſenta æterno

Patri

Digitized by Google

Patri tuo; & hinc ſupple omnem defectum meum.

Poſtula Gratiam.

ROgo te itaq; ô Pater æterne, per vim illius fortiſſimi amoris, qui traxit Vnigenitum tuum è ſinu tuo in Virginis vterum, vt homo fieret, propter nos homines. Rogo te per vehementiam illius deſiderij, quo deſiderabat perficere opus redemptionis noſtræ, per vim quoq; illius amoris, quo hoc Sacrificium, in memoriam immenſi amoris ſui, & pignus futuræ gloriæ inſtituit, vt ſalutari gratia tua me dirigas, & hoc ſacro myſterio Corporis & Sanguinis eius, dignè me vti facias, quatenus copioſum inde fructum conſequar.

Oratio ante Miſſam ex Bloſio.

ADoro te, & gratias tibi ago, amantiſſime Domine IESV Chriſte, pro innumeris beneficijs, doniſq; tuis, mihi indigniſſimo præſtitis: omnia in te refundo, & tibi offero, in laudem æternam.

Gratias tibi ago pro Incarnatione, Natiuita-

tiuitate, Infantia, Pueritia, adoleſcentia, laboribus, ærumnis, paſſione, morte, Reſurrectione & Aſcenſione tua.

Gratias ago, quod me viliſſimum peccatorem, admittere dignaris, ad ſplendidum, viuificumq́; ſacræ menſæ conuiuium.

Bone IESV, per illum amorem, qui te incarnari, pati, mori, pro me coëgit, rogo te, vt ab omni peccato me planê emundes, & tibi per omnia placētem reddas. Exorna egenam animam meam, meritis ac virtutibus tuis. Perficiam hoc puriſſimè ad laudem & gloriam nominis tui ſempiternam, ad honorem dulciſſimæ Genitricis tuæ MARIæ, ad honorem Omnium Sanctorum tuorum, omniumq́; bonorum Angelorum, ad ſalutem meam, ad ſalutem N. ad ſalutem omnium fidelium viuorum, & defunctorum.

Miſerere Domine, miſerere Eccleſiæ tuæ; adeſto omnibus, pro quibus pretioſum Sanguinem tuum fudiſti. Da viuis veniam, defunctis requiem, lucemq́; ſempiternam, tibi laus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio

Oratio ad Sanctiſsimam Trinitatem

O Beata TRINITAS, PATER, FILI, & SPIRITVS SANCTE, hoc Sacrificium Corporis & Sanguinis Filij celebraturus aduenio.

1. Jn confeſſionem ſupremi dominij, quod habes in omnes creaturas, & ſubiectionis omnimodæ, quam omnes creaturæ habemus ad te.

2. Jn commemorationem acerbiſſimæ Paſſionis, & mortis IESV Chriſti & Domini mei, qui dixit: Hæc quotieſcunq; feceritis, in meam commemorationem facietis.

3. Jn gratiarum actionem infinitarum diuitiarum, ſanctiſſimæ humanitatis, eiuſdem Filij DEI, & Redemptoris mei, ac ſingulorum donorum, quibus affeciſti Beatam Virginem, omnes Angelos & Sanctos, & præcipuè N. cuius hodie ſolemnem memoriam facimus.

4. Jtem in gratiarum actionem omnium beneficiorum, quibus in hoc ſæculo, omnes prædeſtinatos magnificas, & me quo-

que

Digitized by Google

que indigniſſimum & viliſſimum peccatorem afficis.

5. Hoc Sacrificium tibi ſpecialiter offero pro hac perſona viua, (vel defuncta) aut pro hac neceſſitate, aut negotio, pro quo celebrare intendo.

6. Jtem ſecundariò offero pro remiſſione omnium meorum peccatorum, pro quibus vehementer doleo, & pro mortificatione mearum paſſionum, pro victoria huius tentationis, &c.

7. Jtem pro adoptione virtutum omnium: ſpecialiter amoris tui ſuper omnia, pro dono Orationis, pro theſauro perfectæ patientiæ, humilitatis, contemptus mundi, &c.

Tua gratia DEVS meus me præuenire dignetur, vt dignè hoc ſacroſanctum Sacrificium peragere poſſim, vt non proueniat mihi in iudicium & condemnationem, ſed in gloriam ſempiternam, Amen.

Effuſio cordis ante Altaris acceſſum.

DOmine IESV Chriſte, qui vniuerſorum es conditor, omniumq́; bonorum largitor,

tor, en ego pauper, nudus, miſer, & miſerabilis, multis peccatis obſtrictus, multis vitijs & abominationibus inquinatus, infinitis beneficijs tuis debitor, pro multis hominibus ſingulariter, pro omnibus autem generaliter, orare teneor. Itaq; vim patiens, ad te confugio, reſponde pro me. Tibi enim offerre cupio ſuauiſſime IESV, Sacrificium Corporis & Sanguinis tui, in gratiarum actionem, & in memoriam charitatis, paſſionis, & mortis tuæ, obſecrans te per temetipſum, DEVS meus, vt illud per Cor tuum ſuſcipias, & Patri offeras in vnione omnium meritorum tuorum, in vnione perpetuæ orationis tuæ, quam facis ad Patrem pro nobis, in vnione virtutis & efficaciæ, quibus operata eſt mors tua in Cruce, & dones mihi & vniuerſæ hæreditati tuæ, tuo ſanguine redemptæ, eundem fructum percipere, quem tu nobis operatus es, & meruiſti in Cruce.

Eia pijſſime Domine, præſta, vt hoc Sacrificium Miſſæ, ita etiam tibi offeram, in vnione illius intentionis, illius pietatis,

Digitized by Google

feruoris, deuotionis, charitatis ac reuerentiæ, quibus tu illud obtuliſti in ara Crucis; quibus illud etiam offerendum inſtituiſti, & à nobis offerri voluiſti. Diues es in miſerationibus: tua ſunt omnia munera noſtra; tua ſunt etiam merita noſtra, tua ſunt præmia noſtra, totum eſt miſericordiæ tuæ; quod habemus & ſumus. Parce nobis Domine, & miſerere vniuerſo humano generi, quod tu creaſti, quod etiam pro nobis moriens, à morte redemiſti. Da vnicuiq; ſicut tu ſcis, potes, & vis, ad gloriam tuam, & omnium ſalutem, dulciſſime ac miſericordiſſime Domine IESV Chriſte, DEVS meus, Amen.

Imitando Mulierem Chananæam, dic;

AD te venio, Chriſte IESV, Saluator mundi, vt mulier olim ad te venit Chananæa, filiæ, hoc eſt animæ meæ, carnis concupiſcentijs, immundis, varijsq; tentationibus vexatæ, ſalutem petens. Ad hoc enim veniſti in mundum, tu pijſſime, vt ſaluos facias peccatores, & oppreſſos à Diabolo. Idcircò miſerere mei, quæſo, & ſalua me.

Quomo-

Quomodo autem hæc Mulier donec exaudita eſt, orare non deſijt; fac tu me quoq; vt ab oratione non quieſcam, ſequar te quocunq; ieris, perſeuerem humiliter, ſuppliciter, ac plenus pia orans fiducia, quandoquidem orare & petere nos iubens, exauditurum te cum Patre promiſiſti. Quando enim tu, qui pijſſimus es, pulſanti non aperies? aut quando perſeueranter te inuocantem, non ſaluares? Miſerere igitur, quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Non ſum pijſſime DEVS, filiorum pane dignus, qui catellus ſaltem tuus, vtinam dignè vocari merear; tibi Domino inſeparabiliter adhærens, pro tui honore zelans, ac latrans, vt de micis gratiarum tuarum indeſinenter quoq; alar. Et quamuis inter peccatores ſim maximus; quantum tamen omnes te diligunt ſancti, te DEVS meus amare cupio, in vnione omnium deſideriorum tuorum te deſidero. Miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Imitando Centurionem.

Digitized by Google

AD te Chriſte IESV, Saluator mundi, cum Centurione quoq; nuntios, præmitto, Beatiſſimam ac electiſſimam tuam Matrem, Sponſas tuas Virgines ſanctas, ac Mariam Magdalenam, quibus nihil negare potes, Sanctosq; tuos omnes, vt pro me intercedant, & accedentem indignum ſordidumq; tuis vulneribus lauent, tuis meritis veſtiant. Tu verò miſerere, quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Scio planè ex tua miſericordia infinita, Domine mi IESV Chriſte, DEVS meus, id prouenire, vt venias ad me: quamuis ad hoc indigniſſimus ſim, vt intres ſub tectum meum: ſed nunquid te repellere, aut à te fugere debeo? Quo enim fugiens fugiam? Magis ad tuam miſericordiam clementiſſimam, mihi confugiendum eſt. Ad te igitur clementiſſime IESV confugio. Miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Scio, quoniam ſi dixeris tantum Verbum, ſalua erit anima mea. Idcirc totum me reſigno beneuolentiſſimæ tuæ prouidentiæ, & totum trado me tuo ſanctiſſimo bene-

nepla-

neplacito. Miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Imitando Ruth.

AD te Chriſte IESV venio, Saluator mundi, tua cum Ruth ſequi veſtigia cupiens. Obſecro autem te, per omnes miſerationes tuas, vt vulnera, dolorem, paſſionem, ac mortem tuam indelebiliter meo cordi imprimas: in his memoria mea, omnes cogitationes, & omnes motus cordis mei, continuè verſentur, & abſorbeantur. Quidquid video, audio, & ſentio, in vulnera tua intingam, ac traham. Vulnera tua, me in dies vulnerent, & tui amor, in dies igneſcens inflammet. Tu verò miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Fac tu me Domine ſolicitum, feruoremq; mihi infunde ſanctum, quo tuæ ſanctiſſimæ vitæ, Sanctorumq; tuorum virtutes & exempla inueſtigans, & cum Ruth ſpicas colligens, imitari hæc ſtudeam; vt in aduerſitatum omnium trituram ac tribulationem, tam amanter, quam gaudenter me quoq; plenè tibi ſacrificem. Quod vt obti-

neam, miſerere tu quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Ante omnia autem charitatis excellentiſſimæ, perpetuæq́; me pallio operias rogo, quam tu quæſo mihi largiaris, vt veſte hac nuptiali, nullo vnquam momento caream, quoad poſt mortem illico cœnam gaudij cœleſtis, te introducente ingredi merear. Nunc igitur miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Imitando Zachæum.

CORam te ſto, en clementiſſime IESV, (me miſerum) frigidus & ſiccus. Tu igitur incende in me quæſo, eſuriem & ſitim iuſtitiæ, vt cum Zachæo in dies te eſuriat, ſitiatq́; cor meum. Te igitur inuoco: veni vt miſerearis mei, DEVS meus & ſalues me. Recipiam te in hoſpitium cordis mei, DEVS meus, paſcam te alacriter amore & reuerentia. Sed vnde te paſcam? à te recipiam, & rurſus paſcam gratia tua, quâ intimus tibi coniungi, nec vnquam à te valeam ſeparari Tu igitur quæſo miſerere mei DEVS meus, & ſalua me.

Tibi

Tibi itaq́; Domine, omnibus fratribus & proximis meis in corde meo, ſit hoſpitium charitatis & pacis, cui omnis liuor & ira abſit: ad omnes verò ſit in me patientia, miſericordia, deuotio & tranquillitas, omnium offenſionibus ignoſcam, omniaq́; in me peccata dimittam. Tu verò miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Imitando Matthæum.

TRahe me poſt te, dulciſſime IESV, vt inter triſtia & aduerſa cum Matthæo ſequar te in omnibus, nec tu patiaris me recedere à te, ſed miſerere mei DEVS meus, & ſalua me.

Parem tibi in me conuiuium deſideriorum, ſanctorum amore tui æſtuantium, ſed quid parabo mendicus & pauper? Tu igitur da mihi, quæſo dulciſſime IESV, quod tibi parem, quod tibi offeram, & in quo beneplaceat Spiritui tuo. Tu quoq́; miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Quomodo autem tu dixiſti tunc, piiſſime ac miſericordiſſime DEVS, miſericor-

diam te malle quàm ſacrificium, fac vt cor meum totum, per miſericordiam tibi ſacrificem compatiens ſingulorum neceſſitatibus, & ſubuenire pro viribus ſatagens omnium indigentijs, fac tu quæſo me miſericordiſſimum in omnes, vt tuam quoq; ego miſericordiam plenam recipiam Miſerator pijſſime, miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Imitando Martham & Mariam.

CVm metu & reuerentia, excellentiſſime & omnipotens DEVS, fac me tuo altari aſſiſtere, omnem negligentiam cauere, & deuotè, attentè, ac vigilanter tibi miniſtrare. Miſerere tu quæſo mei DEVS meus, & ſalua me.

Nulla me occupatio, nulla me concupiſcentia, nulla deniq; ſolicitudo à te, ſuauiſſime IESV diuidat, aut auertat, ſed mens mea cum Maria Magdalena tui amore inebriata, tibi ſoli vacet, in te rapiatur, tibi inhæreat. Audi me quæſo pijſſime IESV, miſerere mei DEVS meus, & ſalua me.

Vnum te cognoſcam neceſſarium, cui ſoli

ſoli purè intendam, quem ſolum quæram, in quo paſcatur, & quieſcat anima mea. Quapropter te ipſum mihi largire. Miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Deuotæ Conſiderationes ante Communionem.

QVis ego ſum, benigniſſime IESV, vt deſiderio apud me manendi tenearis. Num viliſſimam meam originem ignoras? Non ſum ex numero cæleſtium illarum Legionum, non Seraph, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex Sacratiſſimis Spiritibus: Homo ſum qui ante nihil fui, ex terræ limo ducens initium. Putredo Pater meus eſt; Mater mea, & ſoror mea vermis. Quid igitur reperis in me, quod te tantopere delectet? Fortaſſe ô ſpecioſiſſime, forma præ filijs hominum, deliciæ tuæ ſunt eſſe cum filijs hominum; Verum non ſum ego Moyſes, non Abraham, non Iacob: longè abſum à ſanctitate IOANNIS, à puritate MARIæ Virginis, à charitate Apoſtolorum, à Sanctorum tuorum perfe-

ctione.

Digitized by Google

ctione. Peccator ſum tua præſentia indignus, qui te pro fæda voluptate, & lucro temporali, non ſemel vendidi. Et ego te iam cum Iuda deoſculabor, & velut Regem Iudæorum ſalutans, Caput tuum arundine, hoc eſt vacuitate virtutis, & leuitate nimia vitæ meæ percutiam!

Si Sanctus IOANNES Baptiſta in ventre Matris ſanctificatus, vir tantus & tam admirabilis, non reputat ſe dignum, qui te tangat, aut ſoluat corrigiam calceamenti tui; Si Sanctus PETRVS Apoſtolorum princeps, præſentiam tuam, in nauicula ſua extimeſcens, dicit: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, ſi Centurio indignum ſe dicit, ſub cuius intres tectum: quomodo ego totus in peccatis natus, audebo te non dicam tangere, ſed etiam in me accipere, & manducare? O flòs campi! ô lilium conuallium! Panis Angelorum! quomodo nunc à beſtia manducaberis? quomodo qui paſceris inter lilia, paſcuæ locum apud me, inter ſpinas & tribulos inuenies?

Memini tamen Domine, quia mere-

tricem

Digitized by Google

tricem ſuſcepiſti, quia cum peccatoribus manducaſti, quia multò gratiores fuerunt tibi lachrimæ Magdalenæ, quam Phariſæi epulæ; ideò ad te venio alacris, & bonæ ſpei plenus, quod me non reijcies nec repudiabis: Quare ô bone IESV venientem me recipe, ac tibi per hunc myſticum panem, quem in me accipere ardeo coniunge.

Et quamuis ô ſuauiſſime IESV, ab hac menſa iuſtiſſimus timor, ex magnitudine ſcelerum meorum me abducat, & abſtrahat; ſpes tamen & amor, quem cognita miſerationum tuarum immenſitas parit, vrgent & inuitant. Scio enim te dixiſſe: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores; &: Non opus eſt medico ſanis, ſed malè habentibus; ideoq; Zachæo publicano deſiderio tui videndi accenſo, & oſtendiſti te, & eum benignè compellaſti, cumq; eò agere, & manducare voluiſti: vt quid ergo de tua miſericordia bone IESV diffidam? cur ad menſam tuam inuitatus non prouolem? In ea enim mihi pharmacum ſalutis porriges, & propinabis vinum quod germinare

facit

facit Virgines, quod ſerpentes interimit, quod vitam mortuis reſtituit. Venio ergo Domine, oſtende mihi faciem tuam, ingredere in domum meam; dic, quia ſalus facta eſt domui meæ; & cur non ſalus illi fiet, ſi ad eam Saluator diuerterit? Amen.

Alia mire deuota.

QVid tibi Domine IESV, vt venias ad me? atq; ſic te mihi communices? Quis enim tu, & quis ego? Tu Creator, DEVS, &c. Veni ergo Domine, & noli tardare, tui enim amore, & ego quoq; langueo. Euge ergo anima mea, annuntio tibi gaudium, gaude & lætare, quia venit ad te Creator tuus, Sponſus, DEVS & homo. Compone te ergo, & dilatare ad tantum hoſpitem capiendum; & euacua locum cordis tui Ecce nunc ampliſſimo beatiſſimæ diuinitatis, Sanctiſſimæ Animæ, Corporis glorioſiſſimi, Sanguinis pretioſiſſimi munere, auctum te eſſe deſiderat. Occurre illi, cum muneribus. Sed quid tibi offeram bone IESV? quid me opus habes? Si me totum dedero quantulum id eſt? ſi

cor

cor meum petis? illud tibi offerre non audeo: eſt enim immundum, eſt frigidum, eſt planè indignum. Quod ſi omnino dari tibi vis, offero penitus, accipe quæſo: vt eo charitatis igne incaleſcam; tu verò vt gratam vicem amoris rependam, & te nullis cruciatibus deſciſcam: pro corde meo indigno, cor mihi tuum ſacratiſſimum porrige, ſic enim magnitudinem amoris tui, non tantum intelligam, ſed & palpabo; & intimis præcordijs ſentiam, quod tu in me manes, & ego in te. Sed ecce plus quam deſidero habeo! dum enim communico, Sanctiſſimam Animam, beatiſſimam Diuinitatem, Corpus glorioſiſſimum, Sanguinem pretioſiſſimum conſumo; exinde fieri me templum viuum Spiritus ſancti: Tabernaculum Sanctiſſimæ TRINITATIS, ſepulchrum viuum tuum; hoſpitem etiam tuum; & quid vltra poteſt maius eſſe! animam meam fieri ſponſam tibi dilectiſſimam. Ideóq; quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te DEVS, vt in me habites, apud me commo-

Digitized by Google

reris, & in ſæculum in me viuas, & ego in te. O deſiderate cunctis Angelorum Hierarchijs, quanta exultatione debeo geſtire, cum in pectus meum intras? Vera perceptio Corporis & Sanguinis tui, omnipotens DEVS, non veniat mihi ad iudicium: ſed ſit omnium peccatorum meorum optata remiſſio, animæ & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitam æternam introductio. Qui viuis & regnas, &c.

Alia Sancti Hieronymi.

DOmine quis ego ſum, vt intres ſub tectum meum? ſumne ego melior quam Patres mei. Moyſi viro ſanctiſſimo, non conceſſiſti, vt videret faciem tuam, quomodo ergo nunc ſic te demittis, vt viſites pauperem, publicanum, & peccatorem. Satis tibi non eſt mecum cibum ſumere, ſed inſuper præcipis, vt te comedam.

Quam benè perſpectum eſt errabundæ oui, cum teneat intra ſe paſtorem ſuum, non timeo inferni miniſtros, neq; monſtra abyſſi, nunquam me meus dulcis paſtor deſeret, poſtquam mea viſcera ſubibit. Retinebo

nebo eum mecum, nec elongabit ſe à me. Tu es DEVS meus, & Pater meus, non timebo mala, dum tu mecum es, etiamſi mors ſtet contra faciem meam.

Vide ô IESV ego ſum æger, & tu medicus, ſana me; ego nudus, & tu diues, contege me; libera me de tot laqueis defenſor meus, gubernator, cuſtos, DEVS, Rex, & Dominus meus, in cuius manus commendo Spiritum meum, quem redemiſti in ligno Crucis, & propter quem diſtendis & dilatas miſericordias tuas.

Alia Sancti Franciſci Confeſſoris.

O Domine DEVS meus, quis es tu, & quis ego? Ecce hic ſto ante te Domine, tanquam mendicus ante diuitem petens, vt diuitias gratiæ tuæ, mihi pro modulo meo participare velis.

O Domine IESV hic ſto ante te, vt ſeruus ante Dominum, petens cibum & potum Corporis & Sanguinis tui; ſimul & veſtem charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine hic ſto ante te, vt reus ante iudi-

iudicem terribilem, petens, vt mihi iudex pius eſſe velis, quando ſeparabitur anima mea à corpore, & ante tribunal tuum præſentabitur.

O Domine hic ſto ante te, ſicut amicus ante amicum, petens, vt eximia charitas tua, trahat me ad te, me liget in te, & non permittat me vnquam ſeparari à te.

O Domine hic ſto ante te, tanquam filius ante Parentem, petens confidenter, vt neceſſaria & ſalutaria quæq; mihi prouideas, & paternam hæreditatem mihi finaliter non velis denegare, Amen.

Oratio ad Dominum IESVM Chriſtum.

IESV Fili DEI, miſerere mei. Ecce miſer, vilis, turpis, facinoroſus, ingratiſſimusq; peccator ad te venio, non aliud clamans, quam miſericordiſſime IESV, Fili DEI viui, & Virginis, miſerere mei. Miſerere mei, quoniam tibi impoſſibile eſt, miſeris nolle miſereri. Plenus & oppreſſus omni genere peccatorum, hoc ſolùm habeo, quòd clamem: Miſerere mei DEVS, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Confi-

Digitized by Google

Confiteor tibi Domine DEVS omnia peccata mea. Videas ipſe tu, quàm ſim vilis, inquinatus, & immundus; quàm inops & nudus à virtute; quam deniq; turpis & indignus. Pro omnibus igitur delictis, negligentijs, vitijs, & ingratitudinibus meis, ad te, redemptor benigniſſime venio, à te remiſſionem plenam, veniam, & gratiam tuam, ſupplex & obſecrans peto. Da mihi nunc, in omniq; vita mea, & præcipuè in morte, veram, perfectiſſimam, intenſiſſimamq; contritionem, pro peccatis meis, perfectam emendationem vitæ meæ, iuxta omne beneplacitum tuum, & imitationem vitæ tuæ. Vide miſericordiſſime Domine mi IESV, me ingratum, miſerrimum, & indignum peccatorem. Vide cui tanta beneficia quotidie facis, cui tantam impendis charitatem, qui nihil ſim, ſine te, quiquè egeam mendicus & pauper. Da mihi igitur perfectiſſimam, caſtiſſimam, intenſiſſimam, feruentiſſimam, perpetuamq; charitatem, qua te ex toto corde, in omnibus & ſuper omnia indeſinenter diligam, te ſo-

lum, & tui honorem purè quæram & intendam, totum me tibi reſignem, & in beneplacitum tuum, me totum tibi impendam.

Ah miſericordiſſime IESV, fac vt contritio hæc ſancta & charitas, in me ſimul quotidie creſcant, ac tandem adeò inualeſcant, vt præ doloris magnitudine, quod pijſſimum te DEVM offendi, & præ amoris vehementia, ardentiſſimoq; tui deſiderio in morte cor meum crepet, & ſpiritum in manus tuas, imò in amantiſſimum cor tuum exhalet. Hoc te amantiſſime IESV rogo, hoc te per vulnera, per dolores, per omnes guttas Sanguinis tui, pro me fuſi, per mortemq; tuam te obſecro, imò per charitatem, & bonitatem tuam, per temetipſum DEVS meus obſecrans, & ſupplex te adiuro, qui propter me factus homo, temetipſum in captiuitatem, in crucem, in mortemq; tradidiſti; pro quo millies imò infinities te adoro, tibiq; gratias ago; vt mihi tribuas, quo ex plenitudine, vehementia perfectione, quò ſinceriſſimæ contritionis, & ſer-

& ſeruentiſſimæ charitatis, tradat tibi in manus tuas cor ſpiritum meum.

Eia dulciſſime IESV, da quoq; omnibus viuis & defunctis, nunc eandem gratiam, virtutem & fructum paſſionis & mortis tuæ, quam operatus es omnibus in Cruce. Age nunc piiſſime DEVS, en ad te venio, præpara tu in me tibi ipſi locum, ſuſcipeq; te ipſum intra me, quomodo ſuſcipi dignus es; vt in te ſolo viuam, tibi ſoli inhæream, tecum vnum effici, tua gratia merear, Amen.

Alia ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

IAm tibi deberem occurrere, DEVS meus; at præ confuſione, præ vilitate, præ pudore ſordium mearum, non audeo apparere. Tu venis Rex potentiſſime, ac nobiliſſime ad immundam, & infirmam creaturam tuam, quæ peccando ſe omnium fecit nouiſſimam, quæ eſt viliſſima, & velut nihil. DEVS miſericordiſſime ac benigniſſime, cui nihil maius dicere valeo, quam DEVS vniuerſorum, DEVS meus & o-

 mnia.

mnia. Itaq; DEVS meus excita quæſò animam meam, orna pannoſam, ac miſeram: præpara tu ipſe locum, & habitationem intra me, qua te delectet recipi, vbi digneris inſeparabiliter manere. Da mihi deſideria virtutes, ac dona quæ te delectent, in quibus tibi occurrere, teq; ſuſcipere debeam. Domine DEVS meus. Ecce venio, ſed pauper & nudus: ecce venio, ſed ad miſericordiſſimum, ditiſſimum, amantiſſimumq; Patrem.

Itaq; Pater dulciſſime, amator fideliſſime, en ego ad te venio, qui non ſum dignus vocari filius tuus. Atq; idcirco proijcio me totum in beneplacitum tuum, in iuſtitiam, & miſericordiam tuam. Fac mihi, age mecum quomodo tibi placet, & quomodo te decet ad gloriam tuam ſempiternam. DEVS meus prohibe, ne ex me tibi veniat irreuerentia, ſed honor & gloria ſempiterna.

Recipe tu te ipſum intra me, Domine DEVS meus. O ſi merear, & ego in tuos amplexus recipi, ſed heu quid ego ſordidus deſide-

Digitized by Google

deſiderare præſumo à te Domine Rex cælorum? Tuæ eſt bonitatis, miſericordiſſime DEVS, quâ dignaris venire ad me. Ideò per eandem bonitatem tuam obſecro te, fac vt dignè ad gloriam tuam recipiam te, & tu recipias me. Dulcis IESV, trahe tu me intra te, quia nolo amplius eſſe extra te. Dulcis amator Domine IESV, qui te vocas ſponſum animæ meæ, tibi me offero tibi me totum dedo; fac vt vltra non ſim meus, nec intra me ſit aliquid meum, aut mihi proprium; ſed totus ego tuus ſim, & omnia mea tua ſint, ſine vllo reſpectu inclinationeue propria, ad meipſum, te ſolum ſciens ac ſentiens. Dulcis IESV, poſſide me totum, tu ſolus perfectiſſimè & ſemper, Amen.

Oblatio præuia ante Sacrum Sancti Bonauenturæ.

ECce cæleſtis Pater, recolens mortem illam vnigeniti Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti, offero tibi hanc Hoſtiam, quam ipſe olim obtulit, pro mea & totius mundi ſalute. Ecce ad altare tuæ Maieſta-

tis, tranſmitto oblationem viuam, quam tu in miſeratione multa, miſiſti ad altare Crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo, illius ſacroſancti ſudoris, quaſi guttarum ſanguinis decurrentis in terram. Reſpice illam Virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis & alapis cæſam, liuoribus tumidam, ſputis maculatam, ſanguine cruentatam, ſpinis perforatam, clauis confixam, lancea vulneratam.

Illa ergo pietas, quæ Filium tuum traxit, & vicit, vt in ſtatera Crucis, totius mundi peccata libraret, ipſa te cogat Pater miſerere nobis miſeris. Reſpice obſecro non noſtra peccata, ſed in faciem Chriſti tui, non enim in iuſtificationibus noſtris preces noſtras proſternimus, ſed in multitudine miſerationum tuarum. Tibi honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Dicenti ſequentem Orationem Gregorij XIV. conceſſit 50. annor: Indulgen.

CLementiſſime Pater miſericordiarum, & DEVS totius conſolationis, qui non ſemel tantum Filium tuum vnigenitum, in

Cruce

Cruce noſtræ reparationi impendiſti, ſed eius oblationem tibi acceptiſſimam in Eccleſia tua, quotidie renouari, ad eius fructum in nobis renouandum voluiſti, tribue nobis quæſumus, tam admirandum hoc, & tam ſalutare tuæ pietatis myſterium, ſic attentè reuerenter, & amanter celebrare, & celebrantibus intereſſe, vt eius participationem, quàm efficaciſſimè conſequi valeam. Per Dominum noſtrum IESVM, &c.

Ante, vel in ipſo actu Communionis.

BOne IESV dulciſſime, & amantiſſime IESV, ô amor meus, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ, ô æternum bonum, melliflue IESV miſerere mei, coniunge me tibi intimè ad gloriam nominis tui.

Vnde hoc mihi, quod veniat Dominus meus ad me? Quid ô IESV dulciſſime, ſic te mihi communicas? nunquid vis iterum in infernum deſcendere? vis te tradere in manus peccatorum? vis naſci in brutorum ſtabulo, & in ſtramine cor tuum intelligens reclinare?

Domine IESV, fiat nunc mihi, quod

contigit deuotæ ancillæ tuæ, dicenti. Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero. Fac igitur per hunc contactum tui benedicti corporis, omnem concupiſcentiam vitioſam, ac inordinatam in me exſiccari, & fide, ſpe, & charitate integerrima, inauertibiliter cor meum tibi coniungi, Amen.

Gregorius XIII. conceſſit 50. Annor: Indulgent. dicenti ſequentem Orationem.

EGo volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini noſtri IESV Chriſti, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad laudem omnipotentis DEI, totiuſq; curiæ triumphantis, ad vtilitatem quoq; meam, totiuſq; curiæ militantis, pro omnibus, quæ ſe commendauerunt orationibus meis, in genere, & ſpecie, & pro felici ſtatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem ſancti Spiritus, perſeuerantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Modus

Digitized by Google

Modus, quo vtebatur in Sacra Communione, quidam è Societate IESV.

Ante Sacram COMMVNIONEM petebat.

A DEO PATRE.

INeffabilem miſericordiam tuam DEVS æterne, Pater omnipotens humiliter exoro; vt Filium tuum vnigenitum, eo mihi affectu, in Sanctiſſima Euchariſtia, & cum illa cæleſtium donorum copia largiaris, cum qua eum Virgini Sanctiſſimæ in Incarnatione dediſti.

A DEO FILIO.

OBſecro te vnigenitum DEI Patris Verbum, vt cum eo affectu, & cum illa cæleſtium donorum plenitudine, animæ meæ peccatrici communices, cum qua te communicare dignatus es, Matri tuæ Sanctiſſimæ in tua Incarnatione.

A SPIRITV SANCTO.

TE quoq; dator bonorum omnium, & gratiarum largitor, deprecor, vt ita præpares & diſponas cordis mei tabernaculum, ad recipiendum Sanctiſſimum SACRAMENTVM, & per illud tantum donorum tuo-

rum,

Digitized by Google

rum, benignè impertiri digneris, ſicut præparaſti, & diſpoſuiſti Corpus & Animam Beatiſſimæ Virginis, ad Verbum æternum concipiendum, & quantum per illud eidem gratiarum contuliſti.

A Beata MARIA Virgine.

O Intemerata, & in æternum benedicta ſingularis, atq; incomparabilis Virgo DEI Genitrix MARIA, obſecro te, vt mihi impetres, tantum erga Chriſtum Dominum, in Euchariſtia recipiendum amorem, quanto eum proſecuta es, dum eum in vlnis geſtares.

A Sanctis Angelis.

VOs beatæ mentes Angelicæ imploro, & humiliter exoro, vt mihi tantam reuerentiam à Domino veſtro impetrare velitis, quanta ei & in terris commoranti ſeruiuiſtis, & quanta nunc in cælis ad eius obſequium vos impenditis.

A Sanctis Omnibus.

VEſtris meritis Omnium Sanctorum Spiritus, impetrare mihi dignemini, tantam deuotionem, & tantam abundantiam vir-

am virtutum, ad dignè recipiendum Redemptorem noſtrum, cum quanta in carne mortali viuentes, Sanctiſſimam Euchariſtiam recipiebatis, aut Miſſæ ſacrificium offerebatis.

A CHRISTO Domino.

ROgo te Domine Iesv Chriſte, per tuam ſanctiſſimam humilitatem, vt eo te mihi velis communicare affectu, cum quo ſuſcipere, dignatus es, carnem fragilitatis noſtræ, & cum quo eam pro nobis mortuus expoſuiſti, vt cum ea plenitudine virtutum, corpus tuum deguſtare merear: quæ quam maximè correſpondeat efficaciæ meritorum vitæ, paſſionis, & mortis tuæ, & per hanc plenitudinem virtutum, humanitas mea reddatur, quam ſimillima ſanctitati humanitatis tuæ, vt fiam membrum proportionatum, quam maximè tibi capiti meo; ſiquidem tu es caput noſtrum, & corpora noſtra membra ſunt tua, & nos membra ſumus corporis tui de carne tua, & oſſibus tuis.

Niteant paritate & ſanctitate membra

noſtra

noſtra Domine, vt huic SACRAMENTO, quod indignus ſuſcepi, mereantur incorporari, & inter eius membra numerari.

In actu Communionis cum Chriſto ſic agebat.

1. BEnedictus ſis Domine IESV Chriſte, pro tua ſumma charitate, doloribus, & patientia, quam in me vſq; ad hanc horam habere dignatus es.

2. Proinde tibi omnem vitam meam, cogitationes, ac ſenſus meos offero, omnia membra, actiones tam internas, quam externas, tu dirige ad laudem, & guſtum tuum quàm maximum, vt pro tua clementia, ac bonitate me quoddam exemplar, & veluti imaginem humanitatis tuæ efficias.

3. Deprecor autem immenſam clementiam tuam, vt transfigas viſcera animæ meæ, ſaluberrimo amoris tui vulnere, langueat ſemper deſiderio tui, & in tuo fideliter perſeueret obſequio. Da vt anima mea nullam præter te ſentiat dulcedinem, nullam deſideret conſolationem. Reple cor meum dulcedine ſaporis tui, & torrente vbertatis æternæ inebria, vt omnia propter

te ama-

Digitized by Google

te amarâ ſincerè ampleċtatur, & in Crucis tuæ deſiderio emoriatur.

Poſt Communionem.

1. GRatias ago, adoro, & benedico te Pater cæleſtis, omni affeċtu poſſibili in tua æternitate, immenſitate, infinitate, in perſona Chriſti, vnigeniti Filij tui, Beatæ Virginis Matris eius Sanċtiſſimæ, Angelorum Sanċtorum, & omnium beatorum Spirituum, omniumq́; creaturarum.

2. Complacui mihi Domine, ſuper omnia bona; in tua Deitate & felicitate, de tua gloria, & honore, de voluntate & operibus, quæ tam erga me, quam alias creaturas declarare non ceſſas.

3. Inſuper offero tibi dileċtiſſimi Filij tui merita, Beatæ Virginis, ac Sanċtorum Omnium, ad laudem & gloriam tuam, & cum meritis Domini mei, omnes cogitationes, ſermones, aċtiones, & paſſiones meas, ex quibus lauderis in æternum,

AMEN.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONES ANTE MISSAM.

IVXTA MISSALE ORDINIS NOSTRI,

Oratio Sancti THOMÆ *Aquinatis, ad* DEVM *Patrem*

OMnipotens ſempiterne DEVS, ecce accedo ad SACRAMENTVM vnigeniti Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti. Accedo, tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus, ad Dominum cæli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem: vt te Panem Angelorum, Regem regum, & Dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi quæſo Dominici Corporis & Sanguinis, non ſolùm ſuſcipere SA-

CRA-

Digitized by Google

CRAMENTVM, ſed etiam rem, & virtutem SACRAMENTI. O mitiſſime DEVS, da mihi Corpus vnigeniti Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti, quod traxit de Virgine MARIA, ſic ſuſcipere: vt corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari Qui tecum viuit & regnat, &c.

Alia Oratio ad Eundem Patrem.

DEVS, qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus iuſtos, & de immundis mundos, munda cor, & corpus meum ab omni contagio & ſorde peccati: & fac me dignum atq; ſtrenuum, ſanctis altaribus tuis miniſtrum. Concede propitius, vt in hoc altari, ad quod indignus accedo, hoſtias acceptabiles, atq; placabiles offeram pietati tuæ, pro peccatis, & offenſionibus, innumeriſq; & quotidianis exceſſibus meis, atq; cunctorum ſimul Chriſtianorum culpis abluendis. Et per eum, ſit tibi votum meum

acce-

acceptabile, qui ſe tibi DEO Patri, pro nobis obtulit ſacrificium. Qui tecum, &c.

Oratio ad Dominum IESVM Chriſtum. S. Ambroſij Epiſcopi, Eccleſiæ Doctoris.

AD menſam dulciſſimi conuiuij tui, pie Domine IESV Chriſte, ego peccator de proprijs meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia, & bonitate, accedere vereor, & contremiſco. Nam cor & corpus, habeo multis criminibus maculatum: mentem & linguam non cautè cuſtoditam. Ergo ô pia Deitas, ô tremenda Maieſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio, & quem Iudicem ſuſtinere nequeo, Saluatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa, & magna, pro quibus timeo. Spero miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine IESV Chriſte, Rex æterne, DEVS & homo, Crucifixus propter hominem.

minem. Exaudi me ſperantem in te: miſerere mei pleni miſerijs & peccatis, tu qui fontem miſerationis, nunquam manare ceſſabis. Salue ſalutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salue nobilis, & pretioſe Sanguis, de vulneribus Crucifixi Domini mei IESV Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemiſti. Pœnitet me peccaſſe, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me clementiſſime Pater, omnes iniquitates & peccata mea, vt purificatus mente, & corpore, dignè deguſtare merear ſancta Sanctorum, & concede, vt ſancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, operumq; tibi placentium ſalubris efficatia, animæ quoq; & corporis, contra inimicorum meorum inſidias firmiſſima tuitio,

AMEN.

Alia Oratio ad eundem Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.

FVga à me Domine ſpiritum fornicationis, malæ cogitationis, iudicij temerarij, & malæ operationis; & da mihi ardorem caſtitatis, bonam contritionem, puram confeſſionem, veram pœnitentiam, fontem lachrymarum, de omnibus peccatis meis ſanctam abſolutionem, patientiam, humilitatem, fidem rectam, ſpem firmam, charitatemq; perfectam, & perſeuerantiam in bonis operibus, vſq; in finem vitæ meæ, & concede mihi ad ſanctum Altare tuum, tali contritione, recta fide, firma ſpe, perfecta charitate, & puro corde accedere, vt Corpus, & Sanguinem tuum merear, accipere ad ſalutem corporis & animæ meæ, & Patris & Matris meæ, & omnium fratrum, ſororum, conſanguineorum, & benefactorum noſtrorum: Qui cum Patre & Spiritu ſancto, viuis & regnas, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

Veni

Digitized by Google

VEni Domine IESV Chriſte, amor meus, & beatitudo mea, iucunditas mea, deſiderium meum, ac vnica ſpes animæ meæ, veni in cor meum, intra in animam meam, & munda eam à vitiorum ſordibus: orna eam monilibus tuis, vt gratanter, & delicioſè in ea habites, & mihi miſero ſecuram, & felicem in tuo amore quietem tribuas, qui dignaris quieſcere ſuper humilem, & quietum, & trementem, ſermones tuos & deliciæ tuæ ſunt, habitare cum filijs hominum: veni inquam dulciſſime Domine IESV Chriſte in animam meam, & eſto cum ipſa, atq; munda eam. Veni Domine dilectiſſime, & in præcordijs meis immorari, & habitare digneris: vt per eius immortalitatis donum, non damnandorum iudicium, aut vindictam reorum incurram, ſed tuo fultus auxilio, atria virtutum & pacis epulas, & Angelorum conuiuia læta adire merear. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

ANima Chriſti ſanctiſſima, ſanctifica me. Corpus Chriſti ſacratiſſimum, ſalua me. Sanguis Chriſti pretioſiſſime, inebria me. Aqua lateris Chriſti puriſſima, munda me. Sudor vultus Chriſti virtuoſiſſime, ſana me. Paſſio Chriſti pijſſima, conforta me. O bone IESV, cuſtodi me. Intra vulnera tua, abſconde me. Non permittas me ſeparari à te. Ab hoſte maligno, defende me. In hora mortis, voca me. Iube me venire ad te, & pone me iuxta te: vt cum Angelis & Archangelis tuis laudem te, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio ad SPIRITVM Sanctum.

VEni ſancte Spiritus paraclite, illuminator & viuificator tuæ ſanctæ Eccleſiæ, qui illuminaſti & ſanctificaſti, corda ſanctorum Apoſtolorum, & omnium tuorum fidelium: te inuoco, te obſecro, ad te clamo, in regimen omnium meorum ſenſuum & cogitationum; ne à via recta deuiet voluntas mea, & vt à vermis ſtimulo quotidie purgetur conſcientia. Digneris igitur eſſe præſens in mea mente, in meo cor-

pore,

Digitized by Google

pore, in meo ore & opere: vt per tuam ſanctam virtutem, & diuinam operationem, fiat cor meum mundum, & tuæ gratiæ habitaculum: mens mea fiat pura & munda: & omnes ſenſus mei purgati, & clarificati: & miniſterium ſeruitutis meæ, in conſpectu tuo fiat tibi acceptabile, & mihi ſalutare, tua miſericordia tribuente, tua virtute operante, tua gratia confirmante. Quia tu facis de indignis dignos, & de peccatorib⁹ iuſtos, & de immundis mundos: tu iuſtificas impios, & viuificas mortuos, & in infirmitate virtutem miſericorditer tribuis: quia tu es Creator omnium, & Dominus dominantium, munda ergo me, viuifica, & iuſtifica: vt ad ſanctum Altare, mundo corde poſſim accedere, & Corpus & Sanguinem Domini noſtri IESV Chriſti, in remiſſionem omnium peccatorum meorum, Parentum, fratrum, ſororum, familiarium, & omnium benefactorum noſtrorum, viuorum & defunctorum ſumere. Tibi enim & DEO Patri omnipotenti, & Filio ſuo Domino noſtro IESV Chriſto, eſt ſemper

 omnis

omnis honor, & gloria, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia Oratio ad eundem Spiritum Sanctum.

SAncte Spiritus, qui vterum intemeratæ Virginis MARIæ, tua virtute fæcundaſti, & ipſam Filium DEI parere feciſti; viſita me tua gratia ſalutari: intra quæſo, in cor & animam meam, ſicut intraſti in cor glorioſæ Virginis MARIæ, quando Angelo nuntiante, & te obumbrante, Filium DEI concepit: vt gratia tua præuentus, tanti myſterij dignus miniſter efficiar, & inter eius membra myſtica, te operante numerari merear, Amen.

Oratio ad Beatiſſimam Virginem Mariam.

O Mater pietatis & miſericordiæ, beatiſſima Virgo MARIA: ego miſer & indignus peccator, ad te confugio toto corde, & affectu: & precor dulciſſimam pietatem tuam; vt ſicut dulciſſimo Filio tuo in Cruce pendenti aſtitiſti ita, & mihi miſero peccatori, & omnibus hîc, & in tota ſancta Eccleſia, Sacrificio Miſſæ præſentibus clementer aſſiſtere digneris: vt tua gratia

adiuti

adiuti, dignam & acceptabilem hoſtiam in conſpectu ſummæ, & Indiuiduæ TRINITATIS, offerre valeamus.

Oratio ad Sanctum illum, cuius hoc die Feſtum agitur.

O Sancte N. ecce ego miſer peccator, de tuis meritis confiſus, offerre intendo nunc Sacratiſſimum SACRAMENTVM Corporis, & Sanguinis Domini noſtri IESV Chriſti, pro tuo honore, & gloria: precor te humiliter, & deuotè, vt pro me hodie intercedere digneris, vt tantum ſacrificium dignè, & acceptabiliter offerre valeam, & eum tecum, & cum omnibus electis eius, æternaliter laudare, & cum eò regnare valeam, Amen.

Explicatio proprij voti Sacerdotis, pro Sacro applicando.

EGo intendo iſtam Miſſam celebrare, ad honorem & laudem Sanctiſſimæ TRINITATIS, in perſona IESV Chriſti, & ea charitate, & in illum finem, ſicut ipſe Dominus noſter IESVS Chriſtus inſtituit, & Sancta Mater Eccleſia ordinauit, ob me-

moriam Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis, eiuſdem Domini noſtri IESV Chriſti, & ad iubilum Beatæ Virginis MARIæ, omnium Angelorum, Sanctorum, & Sanctarum. Intendo etiam hanc Miſſam celebrare, in remiſſionem omnium peccatorum meorum, & Patris & Matris meæ, & conſanguineorum, & affinium meorum, & religioſorum ac religioſarum, & confratrum Ordinis noſtri, & omnium benefactorum noſtrorum, & fidelium Chriſtianorum, tam viuorum, quàm mortuorum: & etiam pro noſtro Reuerendiſſimo Generali, & Prælatis noſtris, vt DEVS eos dirigat, & conſeruet in vitam æternam,

AMEN.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITIVM POST COMMVNIONEM, VEL CELEBRATIONEM.

Continens varias & ſelectas ex varijs Authoribus Orationes.

Ex Missali Ordinis Nostri, *Oratio Sancti* THOMÆ *Aquinatis.*

GRatias tibi ago, Domine ſancte Pater omnipotens, æterne DEVS, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, ſatiare dignatus es, pretioſo Corpore & Sanguine Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti. Et deprecor te, vt hæc ſancta Communio, non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmentatio, contra inſidias inimicorum omnium tam viſibilium, quàm inuiſi-

inuiſibilium firma defenſio, motuum meorum tam carnalium, quàm ſpiritualium, perfecta quietatio, in te vno ac vero DEO, firma adhæſio, atq; mei finis felix conſummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium, me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio tuo & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, iucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oratio ad Eundem DEVM Patrem.

OMnipotens ſempiterne DEVS, conſeruator animarum, mundiq; Redemptor, me famulum tuum ante Maieſtatem tuam proſtratum, benigniſſime reſpice: & ſacrificium, quod in honorem nominis tui, pro ſalute fidelium tam viuorum, quàm defunctorum, & pro peccatis, & offenſionibus meis obtuli, piiſſime reſpice, iram tuam à me remoue, gratiam & miſericordiam mihi concede, ianuam paradiſi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe; & quidquid proprio commiſi reatu, clementer

indul-

Digitized by Google

indulge: & ſic in hoc ſæculo, in præceptis tuis fac me perſeuerare, vt dignus electorum gregi copulari efficiar, te præſtante, DEVS meus, cuius nomen benedictum, honor atq; regnum permanet in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio ad Dominum IESVM Chriſtum, Sancti Bonauenturæ.

TRansfige dulciſſime Domine IESV medullas, & viſcera animæ meæ ſuauiſſimo, ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera ſerenaq; & Apoſtolica, ſanctiſſima charitate, vt langueat, & liquefiat anima mea, ſolo ſemper amore, & deſiderio tui: te concupiſcat, & deficiat in atria tua, cupiat diſſolui, & eſſe tecum. Da vt anima mea te eſuriat, Panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum; Panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſuauitatis, te in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat, & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui, repleantur viſcera animæ

meæ;

meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus DEI: te ſemper ambiat, te quærat, te inueniat: ad te tendat, ad te perueniat: te meditetur, te loquatur: & omnia operetur, in laudem, & gloriam nominis tui, cum humilitate & diſcretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perſeuerantia vſq; in finem; & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea, poſſeſſio mea, theſaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum, Amen.

Alia ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

INeffabilem miſericordiam tuam Domine IESV Chriſte, humiliter exoro; vt hoc

hoc SACRAMENTVM Corporis & Sanguinis tui, quod indignus ſuſcepi, ſit mihi purgatio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit impetratio veniæ, ſit ſtabilimentum gratiæ, ſit medicina vitæ, ſit memoria tuæ Paſſionis, ſit contra debilitatem fomentum, ſit viaticum meæ peregrinationis; euntem me ſuſcipiat, errantem me reducat, reuertentem me ſuſcipiat, titubantem me teneat, & perſeuerantem me in gloriam introducat. O altiſſime DEVS, beatiſſima præſentia Corporis, & Sanguinis tui, ſic immutet palatum cordis mei; vt præter te, nullam vnquam ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat vnquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui viuis, & regnas cum DEO Patre, in vnitate Spiritus ſancti DEVS, per omnia ſæcula ſæculorum, A.

Alia ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

Sit

Digitized by Google

SIt IESV dulciſſime ſacratiſſimum Corpus tuum, & Sanguis dulcedo, & ſuauitas animæ meæ, ſalus & ſanctitas in omni tentatione, gaudium & pax, in omni tribulatione, lumen & virtus in omni verbo, & operatione, ſolatium & finalis, tutela in morte, Amen.

Oratio ad Beatiſſimam Virginem MARIAM.

O Sereniſſima, & inclyta Mater Domini noſtri IESV Chriſti, Virgo MARIA, Regina mundi, quæ eundem Creatorem omnium creaturarum, in tuo ſanctiſſimo Vtero fuiſti digna portare, cuius idem Sacratiſſimum Corpus & Sanguinem ſumpſi, ad ipſum pro me miſero peccatore intercedere digneris: vt quidquid in hoc ineffabili SACRAMENTO ignoranter, negligenter, irreuerenter, accidentaliter omiſi, tuis precibus ſanctiſſimis, mihi indulgere dignetur. Qui viuit & regnat, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Rythmus Sancti THOMÆ ad Sanctiſſimam Euchariſtiam.

Adoro

Digitized by Google

ADoro te deuotè latens Deitas,
Quæ ſub his figuris verè latitas:
Tibi ſe cor meum totum ſubijcit:
Qui te contemplans totum deficit.
Viſus, tactus, guſtus in te fallitur,
Sed auditu ſolo tutò creditur.
Credo, quidquid dixit DEI Filius
Nil hoc verbo veritatis verius,
Jn Cruce latebat ſola Deitas,
At hîc latet ſimul & humanitas.
Ambo tamen credens, atq; confitens,
Peto, quod petijt latro pœnitens,
Plagas, ſicut THOMAS non intueor,
DEVM tamen meum, te confiteor.
Fac me tibi ſemper magis credere,
Jn te ſpem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis viuus, vitam præſtans homini.
Præſta meæ menti, de te viuere,
Et te illi ſemper, dulce ſapere.
Pie Pelicane IESV Domine,
Me immundum, munda tuo Sanguine.
Cuius vna ſtilla ſaluum facere,
Totum mundum poteſt, omni ſcelere.

Digitized by Google

IESV quem velatum nunc aſpicio
Oro fiat illud, quod tam ſitio:
Vt te reuelata cernens facie,
Viſus ſim beatus tuæ gloriæ, Amen.

Aſpirationes deuotæ poſt Sacram Communionem, vel Celebrationem.

MIrantur ô bone IESV creaturæ omnes, te in puriſſimum MARIÆ Matris tuæ vterum deſcendiſſe, cum tamen integerrima illa, & omni virtute, ac gratia refertiſſima fuerit. An non mirari magis debent, voluiſſe te in me ingredi, à me recipi, à me teneri, de omni inopi, ſordido.

Benedicant te omnes Angeli tui, bone IESV, quia quod proprium eſt ſponſi & ſponſæ, tibi me vis inſeparabili vinculo coniungere: effice ergo, te vt vnum diligam, te vnum vt ſitiam & amem, ac nullæ me mundi illecebræ, nulla carnis voluptas, nullæ dæmonum inſidiæ, abs te auellant, & ſeparent.

Da mihi præſentiæ tuæ, effectus perſentiſcere bone IESV: Memini benedictionum,

num, quibus cumulaſti eos, qui te aliquando in domum ſuam acceperunt. MARIAM Matrem tuam, vbi te in vterum ſuum accepit, omnibus donis & gratijs compleuiſti. Zachæum illum publicanorum principem, quod te acceperit hoſpitio, cæleſti benedictione cumulaſti. Simul atq; in infernum deſcendiſti, illum in paradiſum quendam commutaſti: Domum Obededom, in qua arca teſtamenti, huius SACRAMENTI vmbra tantùm, & figura repoſita fuit, omni benedictione locupletaſti: da quoq; domui meæ, in quam ingreſſus es, benedictionem; eam, quæſo, in paradiſum conuerte, eam donis tuis, & gratijs cumula.

Memini pientiſſime IESV, ſacris de te literis eſſe mandatum, quod omnis turba quærebat te tangere, quia virtus à te exibat, & ſanabat omnes. Ecce ego te, iam non tetigi tantùm, ſed in me quoq; accepi: exeat, quæſo, à te virtus, quæ omnes languores ſanet, quæ vires nouas ſufficiat ad ſeruiendum tibi, & reſiſtendum ſuggeſtionibus inimici.

Digitized by Google

Simul atq; anima tua pretioſiſſima, ex ſacratiſſimo tuo corpore egreſſa eſt, ô IESV pro nobis crucifixe, voluiſti Corpus tuum, myrrha & aromatis conditum, ſindoneq́; puriſſima inuolutum, inferri in ſepulchrum, petra benè munitum, & iam toto orbe glorioſum. Et ecce modo (quæ tua eſt incomprehenſibilis bonitas) corpus idem tuum, à morte ſuſcitatum, animaq́; beatiſſima informatum mihi porrigis, in me, vt illud in ſepulchrum aliquod inferam, in me, vt illud recondam. Da ergo mihi obſecro fortitudinis petram, ad vincendas omnes imperfectiones, & ferendas omnes aduerſitates, labores, & pericula omnia, quæ pro tuo honore, & mea ſalute, mihi ſunt ſuſtinenda. Da quoq́; mihi ſindonem caſtitatis, & puritatis. Dona poſtremò myrrham mortificationis, vt huius diuiniſſimi SACRAMENTI gratiâ delibutus, à criminibus purus & integer, nullo mortiferæ perturbationis veneno inficiar, & corrumpar, ſed odor & mihi, & omnibus alijs ſim in vitam: tibi verò in nominis tui gloriam ſempiternam, Amen.

Digitized by Google

Ad DEVM Patrem:

PAter cælestis clementiſſime Domine, Pater miſericordiarum, ſuſcipe hodie per manus ſerui tui, hoc ſacroſanctum ſacrificium, verum Corpus & Sanguinem, vnigeniti Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti, in ſatisfactionem & remiſſionem peccatorum meorum, in ſalutem & fortitudinem animæ meæ, & totius domus meæ, & omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor; & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Religioſorum Catholicæ fidei; vt eis gratiam ſancti Spiritus impartire digneris, ad ſalutem animarum ſuarum, & regimen totius populi Chriſtiani, & omnium peccatorum huius mundi, vt eos conuertas & ducas, ad viam ſalutis, in conſolationem omnium tribulatorum, vt eis adiutorium, & veram pænitentiam tribuas; in refrigerium & liberationem omnium animarum, in purgatorio exiſtentium, & maximè illarum, quæ auxilium à me iure expectant. Et ad illuminationem & conuerſionem omnium

gentium, infidelium & hæreticorum, & ſchiſmaticorum, vt cognoſcant & ament te, ſummam veritatem Patrem omnipotentem, qui cum Filio & Spiritu ſancto, es laudabilis DEVS, & benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio ad Dominum IESVM Chriſtum.

OBſecro te Domine IESV Chriſte, vt Paſſio tua, ſit virtus mea, qua muniar, protegar, atq; defendar. Vulnera tua, ſint mihi cibus potuſq;, quibus paſcar, inebrier, atq; delecter, conſperſio pretioſiſſimi Sanguinis tui, ſit ablutio omnium peccatorum meorum. Mors tua ſit mihi gloria ſempiterna, & nunc, & in perpetuum, Amen.

Alia ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

EIa nunc gratias tibi ago pijſſime DEVS, quod me ad ſumendum Corpus, & Sanguinem tuum pretioſum vocaſti, gratias tibi ago dulciſſime IESV, pro deuotione, qua me in hac perceptione reſpexiſti. Gratias tibi ago benigniſſime DEVS, quod me protegendo à periculis cuſtodiſti. Mi Domine

DEVS,

Digitized by Google

DEVS, ecce pro tam gratiſſima vocatione, pro tam dulciſſima refectione, pro tam pijſſima reſpectione, pro tam clementiſſima protectione & cuſtodia, & pro omnibus beneficijs tuis, tibi optime DEVS, gratias ago, te benedico, te glorifico in æternum, Amen.

Oratio ad eundem Dominum IESVM Chriſtum.

ADoro te, & gratias ago tibi, benigniſſime Domine IESV Chriſte, qui me viliſſimum peccatorem, admittere dignatus es, ad ſplendidum viuificumq; ſacræ menſæ conuiuium. Heu mihi! qui nimis indignè compleui hoc ſanctiſſimum ſacrificium, miſerere mei, ignoſce mihi. Ego quod egi, commendo diuino cordi tuo emendandum & corrigendum. Suſcipe quæſo hæc ſacroſancta corporis tui myſteria, quæ tibi offero ad gloriam nominis tui ſempiternam, ad honorem dulciſſimæ genitricis tuæ Virginis MARIæ, ad honorem omnium ſanctorum tuorum, omniumq; beatorum Angelorum: ad ſalutem meam, ad ſalutem N.

N. ad ſalutem omnium fidelium viuorum & defunctorum Suſcipe hoc præcellentiſſimum SACRAMENTVM, in plenam emendationem, expiationem, atq; ſatisfactionem, pro omnibus peccatis meis, & pro peccatis totius mundi.

Per illud inſtaura omnes ruinas meas ſpirituales, & ſupple omnem inopiam meam. Per illud mortifica in me, quidquid tibi diſplicet, & effice me hominem ſecundum cor tuum. Per illud conforma ſpiritum, animam & corpus meum, ſpiritui animæ & corpori ſacræ humanitatis tuæ, meq; totum luce diuinitatis tuæ illuſtra. Per illud largire, vt in te ſtabiliar, te perfectè & perſeueranter diligam, intimè tibi vniar, ac totus in te tranſmuter, ad laudem nominis tui. Conuerte Domine miſeros peccatores, reuoca hæreticos atq; ſchiſmaticos, illumina infideles, te ignorantes, adeſto omnibus, qui in tribulatione & neceſſitate aliqua conſtituti ſunt. Adeſto his, qui ſe precibus meis commendarunt, aut commendati eſſe cupiunt. Adeſto parentibus,

propin-

Digitized by Google

propinquis, & benefactoribus meis. Miſerere omnium, pro quibus ego orare debeo, & tu rogari vis. Da viuis veniam, & gratiam, da fidelibus requiem lucemq́; ſempiternam. Tibi laus Chriſte IESV in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio mire efficax, quâ vtiliorem, non poſſe excogitari quidam Author aſſerit.

O Pater miſericordiarum, & DEVS totius conſolationis, qui ex abundantia infinitæ charitatis tuæ, dediſti nobis vnigenitum Filium tuum, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, vtq́; ex immenſo eius theſauro noſtra ſuppleatur inopia. En ego miſer peccator, ſed per miſericordiam tuam vocatus in ſocietatem Filij tui, nunc quoq́; particeps factus ſum Corporis & Sanguinis eius. Proinde illum iam in pectore meo complector, & tanquam rem meam, intimè mihi coniunctam poſſideo.

Atq́; vt talem, in vnione charitatis, qua ſe ipſum olim dedit pro nobis in ara Crucis, & modo ſe dat, & communicat in

SACRAMENTO Altaris, tibi cum offero, vna cum omnibus meritis, atq́; virtutibus, in æternam laudem, & gloriam tuam, vt in illo tibi perfectè complaceat; & nos qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, dilectiſſimi Filij tui meritis & patrocinio, perfectè placeamus.

Offero tibi Pater ſanctiſſime, omnem eius charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, manſuetudinem, patientiam, cum alijs omnibus virtutibus, quibus excelluit, vt totum quod mihi deficit, per illas ſuppleatur.

Cumq́; ego debitas tibi gratias agere nequeam, pro beneficijs in me collatis, offero tibi omnes laudes, quas ipſe obtulit, cum viſibilis inter homines verſaretur in terra, & quas tibi nunc offert in gloria.

Cum verò ſatisfacere nequeam tibi pro debitis, ſeu peccatis meis: offero tibi omnes eius labores, ieiunia, vigilias, fatigationes, orationes, quidquid deniq́; fecit aut pertulit, à primo inſtanti conceptionis, quouſq́; ſpiritum emiſit in Cruce: omnes anguſtias, dolo-

Digitized by Google

dolores, ac tormenta paſſionis, omnem ſanguinem pro me effuſum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleratam.

Ecce hic eſt theſaurus, Pater clementiſſime, in quo totam ſpem repoſui: hæ ſunt diuitiæ, quas offero in ſatisfactionem omnium debitorum meorum.

Aſpice pie Pater, in faciem Chriſti tui, & cum hic ſit Filius tuus dilectus, in quo tibi ſemper benè complacuit, qui mihi nunc intimè coniunctus eſt, ſupplex rogo, vt me quoq; reſpicias oculis miſericordiæ tuæ. Sub eius protectione ac tutela, ſub vmbra meritorum ipſius, compareo coram te, vt illum præcipuè intuens, me quoq; clementer ac benignè reſpicias, tanquam mancipium eius, & ſeruum perpetuum.

Ne permittas obſecro, vt pereat illa anima, quæ toties in ſe recipit filium tuum, qui à te miſſus venit in mundum, quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Hoc præſta mihi, per infinitam miſericordiam tuam, Amen.

Alia

Alia Oratio poſt Miſſam, deſumpta ex P. Iacobo Aluarez, Societ: Ieſu.

O TRINITAS beata: ô Domine DEVS meus: ô Pater potentiſſime: ô Fili ſapientiſſime: ô ſanctiſſime Spiritus: ô tres perſonæ reuera diſtinctæ, ô vna puriſſima & ſimpliciſſima Deitas.

Adoro te vt DEVM meum, ex toto corde meo, & ex omnibus viribus meis, atq; oro te, vt cunctæ cogitationes meæ, cuncta deſideria, verba, & opera, tibi ſint grata & accepta. Gratias tibi ago, ô bonorum origo, pro innumeris & maximis beneficijs, quæ ex momento conceptionis meæ, vſq; in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi, pro innumeris, quæ nunc, & in hoc temporis momento ſuſcipio; Pro infinitis, quæ vſq; in finem vitæ meæ, ac per totam æternitatem ſum accepturus, ex theſauris immenſæ bonitatis, & largitatis tuæ. Nam & ego Domine, ſine vlla comparatione minor ſum minimo beneficiorum tuorum, indignus planè vt mei recordareris, vt me ſuſtineres, vt mihi minimum ex tuis donis tribueres.

Digitized by Google

Specialiter autem gratias tibi ago, DEVS & Pater amantiſſime, ex totis præcordijs meis, maximè pro his beneficijs.

1. Pro infinitis illis diuitijs, quas in ſacra humanitate Filij tui communicaſti, & quia eum mihi in Doctorem, in Ducem, in Redemptorem dediſti.

2. Pro ſingularibus ac innumeris donis, quæ in Beatiſſima Virgine MARIA poſuiſti, & quia eam mihi in Matrem, Aduocatam, Protectricem, dediſti.

3. Pro maximis beneficijs, quibus ſanctos Angelos, omneſq; beatos tuos cumulaſti, nec non & pro illis, quibus hunc ſanctum N. vel ſanctos N. N. quos hodie ſolemni ritu celebramus, affeciſti.

4. Pro ſingulari beneficiorum copia, qua eos reples, quos efficaci gratia, per totam Eccleſiam ad perfectionem effers, & ad tuam dulciſſimam familiaritatem admittis.

5. Gratias tibi ago ex toto conatu mentis meæ, quod me è miſerijs ſæculi eripuiſti, & ad hanc ſanctam Religionem vocaſti, &

tot

Digitized by Google

tot adiumenta ad perfectè ſeruiendum conceſſiſti.

6. Pro his tribus votis religionis meæ, quibus me alligaſti, ac conſecratum eſſe voluiſti; quæ tantum abeſt, vt me feciſſe pæniteat, quod potius ea libentiſſimè denuo facio, ac tibi millies, & centies millies perpetuam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, promitto.

7. Pro talentis & donis, cum naturalibus tum ſupernaturalibus mihi datis, vt eis tempus vtiliter & meritoriè collocarem, & iuxta meam vocationem alijs prodeſſem.

8. Pro hac viciſſitudine conſolationum, & deſolationum, proſperitatum, & aduerſitatum, qua vitam meam mirabiliter texis, vt neq; aſſidua aduerſitate decidam, neq; aſſiduitate proſperitatis inebrier.

9. Pro hac ſanctiſſima & ſublimiſſima Sacerdotij dignitate, qua me de puluere terræ erexiſti.

10. Ac tandem pro hodierno vſu eius, quo incruentum hoc ſacrificium tibi Patri obtuli, & panem vitæ manducaui.

Peti-

Digitized by Google

Petitiones communes decem.

ET nunc Domine his, & alijs innumeris beneficijs tuis animatus, alia noua ſupplicitèr poſtulo.

1. Miſerere igitur ô benigniſſime Pater miſerationum toti mundo, & eum fide, ac tua ſcientia reple, & gentes à fide alienas, ad veritatis notitiam conuerte, Turcas, Mauros, Hæreticos, Schiſmaticos, idolorum cultores, ac perfidos Iudæos, in domum Eccleſiæ tuæ, iam tandem obſecro intrare compelle. Non pereant tot imagines tuæ, non ſit in illis vacuus, & inanis Sanguis pretioſiſſimus Filij tui. Lugeo Domine coram te, hos Fratres meos, alienos à te: & ſi ego poſſem, omnium iſtorum intellectibus in te crederem, omnium voluntatibus te diligerem, omnium viribus tibi perpetuò ſeruirem. At nihil poſſum, niſi deſiderare ac flere, & deſideria mea coram tua maieſtate profundere.

2. Miſerere Domine Eccleſiæ tuæ: auge in ea puritatem, fidei & munditiem ſanctitatis, eamq; labore virorum Apoſtolico-

rum,

rum, per totum orbem extende. Reſpice benignis oculis iuſtos ipſius, illos præcipuè, qui ad perfectionem properant, & in eis iuſtitiam ſerua, & augmenta. Reſpice etiam peccatores, eoſq; à miſero ſtatu peccati eripe.

3. Adiuua Domine Summum Pontificem N. Vicarium tuum, Caput Eccleſiæ tuæ, Paſtorem gregis tui: da ei, vt verbo & exemplo cunctis præluceat, & optimo regimine ad ſalutem dirigat. Intende etiam oculos miſericordiæ tuæ, in vniuerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & in omnes qui ad Clericalem ſtatum pertinent, & ſalutem animarum curant. Fac eos ſal terræ, lucem mundi, ciuitates ſupra montem poſitas, vt eam puritatem arripiant, quam ſanctiſſima dignitas eorum requirit.

4. Miſerere omnium ſanctarum Religionum, (& præcipue huius noſtræ) tribue eis, vt ſecundum ſuam cuiuſq; vocationem viuant, & exactè paupertatem, caſtitatem, obedientiam ſeruent.

5. Effun-

Digitized by Google

5. Effunde Domine DEVS, miſeratio-nes tuas in REGEM noſtrum N. ac in omnes Catholicos REGES, nec non in vniuerſos Gubernatores, Nobiles, plebeios, & in omnes eos, qui ad ſtatum ſpectant ſæcularem. Precorq; vt Regni Ciuitates, Prouinciasq; cuſtodias in pace, ab incurſu hoſtium, & liberes à peſte, fame, & bello.

6. Affero etiam coram te ô Domine Parentes meos, fratres meos, cognatos, amicos meos, & omnes eos, qui ſe orationibus meis commendarunt, vt eis dones, quod voluntati tuæ placitum, & ſaluti eorum pro futurum eſſe cognoueris.

7. Offero tibi quoq; omnes captiuos, vinctos, ægros, tentatos, tribulatos, agonizantes, & in aliqua neceſſitate, præſertim graui conſtitutos, vt eis ex tua largitate libertatem, ſalutem, victoriam, conſolationem, bonam mortem, & remedium propriarum neceſſitatum largiaris.

8. Supplex etiam oro te ô mitiſſime Pater, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo, vt eis omnibus benefacias, & pro in-

famia,

Digitized by Google

famia, qua me læſerunt honorem eis; pro detractionibus, bonam famam; pro odio in me, ſanctiſſimum amorem tuum tribuas.

9. Reſpice benignis oculis animas in purgatorio detentas, præſertim N. N. & aliorum, potiſſimum eorum, pro quibus nemo orat, & pro quibus ego orare teneor, citò eas quæſo ad cæleſtes ſedes admitte.

10. Tandem oro Domine, pro his Prælatis meis N. N. & pro his dilectiſſimis meis N. N. vt eos perfectos facias, & ab omnibus peccandi occaſionibus liberes.

Sequuntur priuatæ Petitiones.

IAm ô DEVS meus, ô refugium meum, neceſſitates meas, & miſerias meas narrabo coram te, non vt tu ea ſcias, ſiquidem omnia aperta ſunt, & manifeſta oculis tuis, ſed vt dum ea apud te cum gemitu pronuntio, deſideria tuæ miſerationis accendam in me, & remedia ac dona, ex tua benignitate promerear.

1. Peccaui Domine ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus intueri, nec aſpicere altitudinem cæli, præ multitudine iniqui-

iniquitatum mearum. Concede ergo mihi, veriſſimam contritionem, quâ peccata propter te, & ex tuo amore deteſter. Fac etiam, vt dignos fructus pænitentiæ faciam, & aſſiduis lachrimis peccata eluam.

2. Da mihi Domine, veriſſimam mortificationem mei iudicij, voluntatis, meorum affectuum, & ſenſuum. Da veriſſimum contemptum omnium terrenorum, vt nec honores quæram, nec dignitates ambiam, nec diuitias aut voluptates ſuſcipiam, ſed omnem honorem meum, omnes theſauros meos, & delicias meas, in te, bonorum omnium fonte, reſpiciam.

3. Libera me ab omnibus tentationibus, & dolis, inuiſibilium hoſtium, ab his præcipuè, quæ veniunt ſub ſpecie boni, ne bonum inquirens, à vero bono diuellar.

4. Concede mihi fidem rectam, ſpem firmam, charitatem ardentem, reſignationem veram, & cum tua voluntate concordiam, pacem, & tranquillitatem internam.

5. Perfice ô factor meus, intellectum meum, prudentia & diſcretione, vt medi-

um in omnibus teneam. Tribue mihi cor docile, ne proteruus in meo ſenſu perſiſtam; ſollicita me feruore tuo, vt tibi non oſcitanter, non ſegniter, ſed diligentiſſimè ſeruiam.

6. Perfice voluntatem meam virtute iuſtitiæ, qua libenter vnicuiq; quod ſuum eſt tribuam: ſubijce me tibi Religionis virtute, & donum orationis præbe, vt in omnibus tuam laudem quæram, & tibi puriſſimum cultum latriæ: Matri tuæ ſanctiſſimæ hyperduliæ: Angelis ac ſanctis tuis debitam duliæ venerationem tribuam. Da mihi cor, ob peccata mea compunctum, erga Parentes pium, erga Prælatos ſubiectum; erga benefactores gratum, erga amicos affabile, in factis ſimplex, in dictis verum.

7. Perfice iraſcibilem meam robore fortitudinis, quatenus in aduerſis, vt decet, ſe habeat, & aduerſitatis pondere preſſa, ab eo quod rectum eſt, nunquam exorbitet. Da mihi animum magnitudine conſpicuum, & in rebus omnibus obſequij tui ſecuritate lætum, bona ſæculi pro te contemnentem,

tem, dolores, & acerbitates magnas, & multo tempore durantes ſuſtinentem.

8. Perfice concupiſcibilem meam pulchritudine temperantiæ, qua & omnia turpia fugiam, & honeſta conſecter, & in cura corporis, ſolam neceſſitatem reſpiciam. Da in actionibus modeſtiam, & in ore ſilentium, in vſu rerum paupertatis amorem, & omnis curioſitatis victoriam.

9. Da mihi per infinitam bonitatem tuam, perſeuerantiæ donum, vt nunquam per crimen aliquod à te ſeparer, ſed vſq; ad mortem, & in æternum in tua gratia perſeuerem.

10. Da mihi per immortalitatem tuam, per ſanctiſſimam mortem Redemptoris mei, bonam mortem, & vt poſt bonam vitam in te moriar, morte iuſtorum. Tolle à me nimium amorem huius vitæ, & nimium ac immoderatum timorem mortis. Da intimam lucem horæ mortis, vt mundi blandientis illecebras fugiam. Da intimum ſaporem æternitatis, vt lætus tranſitoria deſeram. Da veram reſignationem,

Digitized by Google

in tua rectiſſima voluntate, vt quando & quomodo diſpoſueris, hinc abſcedam. Aufer deniq; à me, quidquid me in aſſecutione perfectionis detinet, & potentiſſima adiumenta, ad ſanctè viuendum, & feliciter moriendum attribue.

Hæ ſunt, DEVS meus, petitiones meæ, hæc ſunt deſideria mea, quæ impleri cupio, & peto; per miſerationes tuas, non ſolum in me, ſed in omnibus proximis meis, vt ſemper tibi placeamus in hac vita, & in futura tuo aſpectu lætemur, ac fruamur, Amen.

Poſteá imitare Samſonem, & dic.

REfeciſti me Chriſte IESV, melle dulcedinis tuæ, quo confortes me quæſo, ambulantem in via mandatorum tuorum, ne in ſeruitio tuo, aut feruore indiſcreto viribus deficiam, aut torpori acediæq; ſuccumbam, ſed propitius tu miſerere quæſo mei, DEVS meus, & ſalua me.

Huius autem beneficij tui, quæſo, tam viui, quàm defuncti, cuncti participent fructum,

ctum, omnibus huius ſani profit virtus, pro quibus tu olim temetipſum Patri obtuliſti in Cruce. Miſerere igitur omnium DEVS meus, & ſalua nos.

Hoc præterea donum tuum, omniaq́; dona tua mihi indigno ac miſero collata, in vulnera tua abſcondo, tibi ſeruanda augendaq́; eadem committo, quò tua gratia me protegente, ex nullo eorum ſuperbiam, ſed humilior & gratior, tibi ſemper inde efficiar. Tu verò miſerere quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Imitando Eliſæum Eliæ continuò adhærentem, dic.

DOmine IESV Chriſte, mitiſſime ac benigniſſime, quid retribuam tibi pro his, quæ mihi tribuiſti? Te ipſum dediſti mihi. Nihil te pretioſius accipere potui, nihil vtilius, nihil ſanctius. Me ipſum reddo tibi: aliud enim nihil habeo. Tu verò mane mecum, pijſſime IESV, & tunc præcipuè quando deuotio in me veſperaſcit, & fac vt maneam ego quoq́; tecum. Quocirca mi-

ſerere quæſo mei DEVS meus & ſalua me.

Spiritus quoq; tuus duplex, quo Eliſæum dotaſti, impleat me, quæſo Domine, vt huius virtute SACRAMENTI illuminato intellectu, affectuq; purgato, atq; inflammato, totus tibi perfectiſſimè placeam, ex toto corde meo, te in omnibus, & ſuper omnia diligam.

Quia verò tua dignatus es miſericordia, pijſſime DEVS, vt ingredereris vile tabernaculum meum, para tu ipſe tibi vero Eliſæo menſam, ſedem ad lectulum in corde meo, hoc eſt deuotionem, puritatem, ac pacem, quò te delectet manere mecum: nec poſthac offendam te, vt à me recedas, ſed teneam, poſſideamq; te in æternum. Miſerere igitur, quæſo mei DEVS meus, & ſalua me, Amen.

Imitando Eliam, feliciter hinc emigrantem dic.

OBſecro autem nunc te per charitatem tuam, pijſſime DEVS, Domine IESV Chriſte, vt ſumpto hoc viatico tuo, ſis tu mihi

mihi cibus, qui me confortet, nutriat, protegat: ſis currus, quo de exilio huius miſeriæ alacer migrem, atq; feliciter perducar ad te, in gaudia cæleſtis Patriæ. Quod vt quantocius obtineam, miſerere quæſo mei, DEVS meus, & ſalua me.

Sit mihi quæſo, Euchariſtiæ, hoc eſt bonæ gratiæ, hoc quod ſumpſi SACRAMENTVM, pie IESV, panis cæleſtis: ſit mihi manna refectio ac cibus, in cuius fortitudine ambulem, vſq; ad montem DEI. A quo ne ab hac vita, quæſo, me patiaris emigrare ieiunium; ſed huius SACRAMENTI ſuſceptio, & modò & tunc ſit mihi plena reconciliatio, plena peccatorum purgatio, & ad æternam vitam introductio. Quapropter miſerere, quæſo mei, DEVS meus, & ſalua me.

Poſtremò, quomodo tu in curru igneo Eliam tranſtuliſti; ita huius SACRAMENTI perceptione, abſorbeat me quæſo, ignita & melliflua vis amoris tui, qui mundo me totum faciat mori, à phantaſmatibus & creaturarum imaginibus denudari, à priuato

amore liberum fieri, & in te rapi, in te abſorberi, tecumq́; vnum perpetuò fieri. Miſerere igitur, clementiſſime IESV, quæſo mei, & ſalua me, Amen.

Vt viuificet.

VTinam Domine IESV, hæc tui SACRAMENTI ſuſceptio, me reſuſcitet à morte peccati, ſitq́; mihi vita perennis, & ſalus perpetua.

Hac ſacroſanctæ Euchariſtiæ virtute adiutus, pijſſime IESV, moriar quotidie mundo, & peccato, viuam verò tibi, Amen.

Vt purget.

MIſericordiſſime IESV, hæc SACRAMENTI tui ſumptio, ſit mihi plena peccatorum meorum ſatisfactio, ſit quoq́; pie IESV, animæ meæ hîc plena purgatio.

Quid habeo, dulciſſime IESV dignius, quid pretioſius, quid acceptius, quod pro peccatis meis expiandis tibi offeram, quam te ipſum? Te ipſum igitur Patri, & tibi

ipſi

Digitized by Google

ipſi quoq́; offero, quem in remiſſionem, & purgationem omnium peccatorum meorum ſuſcepi, Amen.

Vt minuat vitia.

HVius Euchariſtiæ pijſſime DEVS ſumptio, ſit quæſo, omnium vitiorum in me extinctio. Virtus, quæſo, huius SACRAMENTI omnia interiora mea penetret, & quidquid in me prauum, quidquid eſt vitioſum, mortificet & eradicet.

Vtinam Euchariſtia hæc ſancta, liberet me à peccato mortis huius, & à lege peccati, Amen.

Vt roboret.

SACRAMENTVM hoc Corporis & Sanguinis tui, Chriſte IESV, ſit mihi ad ardua quæcunq́; robur, & fortitudo.

O Panis cæleſtis, qui es compactus in vtero Virginis, coctus igne charitatis in ligno Crucis; præbe vires animæ meæ, præbe feruorem, vt in ſeruitio tuo, neq́; tepeſcam, neq́; indiſcretione deficiam.

Vt augeat.

Poſt

POſt huius Domine IESV, SACRAMENTI ſuſceptionem, augeantur quæſo, in me tua dona, & virtutes perficiantur.

Vtinam SACRAMENTA hæc tua cæleſtia, gratiam mihi tuam accumulent, virtutes infundant, charitatem augeant, & dona tua cuncta in me perficiant.

Vt reſtauret.

VTinam pijſſime IESV, feruorem tuæ charitatis, cunctaq́; bona dona, ac tua in me cibus hic Sacramentalis reſtauret. Neq́; enim aliud ex me eſt, aliudq́; neſcio, quam gratiam, & dona tua deſtruere, & impedire.

Huius viuifici cibi, Chriſte IESV ſumptio, reparet in me omnia, quæ per meam negligentiam, ingratitudinem, & deſidiam perierunt, Amen.

Vt illuſtret.

VIrtus quæſo Corporis & Sanguinis tui Domine IESV Chriſte, intellectum, ſenſus, omneſq́; vires animæ meæ illuſtret, vt cognoſcam coram te, quid acceptiſſimum ſit omni tempore. Illumina quæſo, tene-

Digitized by Google

tenebras meas, radijs viſitationis tuæ, & cognitionem peccatorum meorum, totiuſq́; notitiam vilitatis meæ, cum deteſtatione & odio ſancto mihi infunde.

Gratiæ tuæ ſplendor pie IESV, luceat ſemper in me, quo cognoſcam, diligam ſentiamq́; te, Domine DEVS meus, ſemper in toto corde meo, cum timore caſto, & reuerentia, Amen.

Vt conſeruet.

QVoniam Corpore & Sanguine tuo, DEVS pijſſime, me refeciſti, non ſinas ex me hanc, poſthac tibi fieri contumeliam, vt ad vomitum redeam, aut vt denuo te offendam.

Quid vis mecum agas, pijſſime IESV; ſaltem à peccato, ab offenſioneq́; tui me præſerues, & in tua gratia iugiter conſerues, Amen.

Vt hoſtes terreat.

CHriſte IESV, Paſſionis tuæ virtus, huiuſq́; SACRAMENTI ſumptio, ſit mihi contra omnes inſidias inimicorum munimen & protectio.

Jn te

Digitized by Google

Jn te IESV piiſſime, in virtute tua, fac me ſuperare omnem tentationem. Cuſtodi me Domine, vt pupillam oculi, ſum vmbra alarum tuarum; id eſt, ſub brachiis tuis in Cruce expanſis, protege me. Si me tentari vis, tribue mihi, benigniſſime IESV, virtutem ex te, ne vincar & ſuccumbam. SACRAMENTVM hoc tuum muniat me, quæſo, & ab inimici fraude defendat, Amen.

Vt inarrhet.

QVid dignius, aut pretioſius, te ipſo mihi dare potuiſſes, amantiſſime IESV? Sit igitur quæſo, mihi hoc donum pignus, ne vnquam poſthac obdormiam in mortem peccati, ne vnquam à te ſeparari poſſim.

Vtinam in arrham mihi dederis, hoc SACRAMENTVM ſinceriſſimi perpetuiq; amoris, quo tibi nexu coniungar indiſſolubili, & vt amoris hoc vinculum, nunquam poſſit diſſolui. Sit hæc ſumptio SACRAMENTI arrha, qua me dono hoc nobiliſſimo ſubarrhas piiſſime DEVS, ſinceriſſimæ dile-

Digitized by Google

dilectionis: quæ vt in te conſtans eſt, & perpetua: ita in me caſtiſſima quoq; ſit, & perſeueret feruens & ſempiterna.

Vt delectet.

IN te ſit IESV ſuauiſſime, omnis delectatio mea. Te ſolùm concupiſcam, te ſolùm ſitiam, te ſolùm ſentiam. Nihil quæſo poſt hac me afficiat, niſi tu: nihil me delectet, niſi tu. Tædeat me gaudij, quod eſt ſine te, delectet me omnis labor, qui eſt pro te; & amara ſit mihi omnis quies, quæ non eſt in te, Amen.

Vt dilectione impleat.

AH Domine ſuauiſſime tui dilectione, deuotionis pinguedine, imple tu quæſo mentem meam, & vnctione Spiritus ſancti, cor meum durum perunge, vt ablata omni duritia atq; deſidia, curram poſt te, in odore vnguentorum tuorum. Vtinam caſtiſſima, affectuoſiſſima, iugiq; deuotione tu dulciſſime IESV impleas animam meam, qua ad patienda amara, ad agenda ardua, ad motificanda deſideria, ad omnem abnegationem cuiuſcunq; proprietatis, facias

Digitized by Google

me feruidum, deuotum, caſtum, obedientem, atq; reſignatiſſimum.

Dulcis IESV, ad hoc SACRAMENTVM tuum te largiente quæſo, in me in dies creſcat deuotio, creſcat amor, creſcat deſiderium, creſcat reuerentia, intollerabilisq; in me fiat, huius eſuries & ſitis, Amen.

Vt inflammet.

EMitte quæſo miſericordiſſime IESV, ex te amoris tui radios, qui me ſuccendant, igneq; inextinguibili charitatis tuæ me totum, hoc eſt id quod ex me ſum comburant, ac conſument; vt nihil in me remaneat, niſi quod gratia tua in me operata eſt, & charitas.

Accende me igne tui amoris, dulcis JESV, vt velut æs candens, totus flammeſcam charitate, totus tui amore langueam, totus quo ad me ipſum, & ad veterem hominem deficiam, Amen.

Vt vniat.

VTinam me rapiat, ô pulchritudo caſta, ô delectatio ſancta, vtinam me rapiat,

in te

Digitized by Google

in te ignita vis amoris tui, quæ me in te transformet, in te abſorbeat, & tibi vniat.

Abſorbeat me quæſo piiſſime DEVS, melliflua vis amoris tui, quæ me totum penetret, atq; me tecum vnum efficiat, Am.

Vt conſoletur.

DVlciſſime IESV huic mundo, & vniuerſo gaudio alieno, fac tu, vt verè velim, poſſim, ac perficiam, valedicere & abrenuntiare, vt in te ſolo queam, te miſerante gaudere.

Piiſſime DEVS, eſto tu vnica conſolatio mea, gaudium meum vnicum, ſecuritas, & pax in qua requieſcam, Amen.

Vt tutet.

IESV miſericordiſſime non habeo, quo peccata mea, nec quo pœnas quas debeo, propter delicta mea exoluam; ſed charitatem tuam, meritaq; Paſſionis tuæ, quæ in hoc SACRAMENTO nobis tribuis, quæſo pro me ſuſcipe, & me ab omni culpa & pœna, liberum & innoxium redde.

Quid aliud tibi offeram pie IESV, niſi temetipſum? En te qui plena es propitiatio

pro

Digitized by Google

pro peccatis noſtris, & ſatisfactio, pro me tibi trado, Amen.

Vt virtutibus cunctis impleat.

QVomodo hac me gratia dignatus es Domine DEVS meus, vt Corporis & Sanguinis tui SACRAMENTO cibares; ita me quoq; huius SACRAMENTI operationibus atq; virtutibus cunctis, impleas quæſo. Per omnia igitur vulnera tua, & per dolores tuos, te obſecro IESV pijſſime, vt huius SACRAMENTI perceptio Animæ meæ vitam tribuat gratiæ, quæ vitales ac diuinos motus exerceat: purificet me à vitijs, & à peccatis: fomitem, atq; peccandi libidinem minuat: robur atq; animi fortitudinem adijciat: gratiam tuam mihi augeat, & virtutes: deſtructa (deſtructor enim tuæ ſum gratiæ, & dilapidator) & perdita reſtauret: tenebras cordis mei illuminet: à peccatis præſeruet: à tentationibus & Diaboli machinationibus defendat: adoptionis tuæ ſe ipſum mihi arrham conſtituat: dulcedine gratiæ tuæ impleat, & conſoletur: deuotione impinguet: charitate tua inflammet: me tibi

me tibi vniat : ſpiritu exhilaret ; & à pænis futuris omnibus poſt hanc vitam, tutum, ſecurumq;, ac liberum, te miſerante, me reddat, Amen.

LITANIÆ
DE DVLCISSIMO NOMINE IESV.

KYrie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEVS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEVS, Miſerere.
Spiritus ſancte DEVS, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS vnus DEVS, Miſerere.
Ieſu Fili DEI viui, Miſerere nobis.
Ieſu Potentiſſime, miſerere.
Ieſu Fortiſſime, miſerere.
Ieſu Perfectiſſime, miſerere.

Ieſu Glorioſiſſime, miſerere.
Ieſu Iucundiſſime, miſerere.
Ieſu Cariſſime, miſerere.
Ieſu Clarior Sole, miſerere.
Ieſu Pulchrior Luna, miſerere.
Ieſu Splendidior ſtellis, miſerere.
Ieſu Admirabilis, miſerere.
Ieſu Delectabilis, miſerere.
Ieſu Honorabilis, miſerere.
Ieſu Humillime, miſerere.
Ieſu Pauperrime, miſerere.
Ieſu Mitiſſime, miſerere.
Ieſu Patientiſſime, miſerere.
Ieſu Obedientiſſime, miſerere.
Ieſu Caſtiſſime, miſerere.
Ieſu Amator caſtitatis, miſerere.
Ieſu Amator pacis, miſerere.
Ieſu Amator noſter, miſerere.
Ieſu Speculum vitæ, miſerere.
Ieſu Exemplar virtutum, miſerere.
Ieſu Decus morum, miſerere.
Ieſu Zelator animarum, miſerere.
Ieſu Refugium noſtrum, miſerere.
Ieſu Pater pauperum, miſerere.

Digitized by Google

Ieſu Conſolator afflictorum, miſerere.
Ieſu Theſaurus fidelium, miſerere.
Ieſu Gemma pretioſa, miſerere.
Ieſu Armarium perfectionis, miſerere.
Ieſu Bone paſtor ouium, miſerere.
Ieſu Stella maris, miſerere.
Ieſu Lux vera, miſerere.
Ieſu Sapientia æterna, miſerere.
Ieſu Bonitas infinita, miſerere.
Ieſu Gaudium Angelorum, miſerere.
Ieſu Rex Patriarcharum, miſerere.
Ieſu Inſpirator Prophetarum, miſerere.
Ieſu Magiſter Apoſtolorum, miſerere.
Ieſu Doctor Euangeliſtarum, miſerere.
Ieſu Fortitudo Martyrum, miſerere.
Ieſu Lumen Confeſſorum, miſerere.
Ieſu Sponſe Virginum, miſerere.
Ieſu Corona ſanctorum omnium, miſerere.
Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.
Propitius eſto, Exaudi nos Ieſu.
Ab omni malo, Libera nos Ieſu.
A tranſgreſſione mandatorum tuorum, lib.
Ab omni peccandi occaſione, libera.
Ab incurſu omnium malorum, libera.

Ab Indigna Corporis & Sanguinis tui ſuſceptione, Libera nos Ieſu.

A peſte, fame, & bello, libera.

A mala morte, libera.

A pœnis inferni, libera.

Per Incarnationem tuam, libera.

Per Natiuitatem tuam, libera.

Per Circumciſionem tuam, libera.

Per cœleſtem Nominis IESV impoſitionem, Libera nos Ieſu.

Per Dolores tuos, libera.

Per Flagella tua, libera.

Per Mortem tuam, libera.

Per Reſurrectionem tuam, libera.

Per Aſcenſionem tuam, libera.

Per Gaudia tua, libera.

Per Gloriam tuam, libera.

Per Dulciſſimam Virginem Matrem tuam, Libera nos Ieſu.

Per Interceſſionem Omnium Sanctorum tuorum, Libera nos Ieſu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt dulcem melliflui nominis tui memoriam, in tabulis cordis noſtri digito virtu-

Digitized by Google

virtutis tuæ inſcribere digneris, Te rogamus audi nos.

Vt Nomen hoc Sanctiſſimum, & viuentes in opere, & morientes in ore habere mereamur. Te rogamus audi nos.

Vt benigniſſime IESV, nobis ſis IESVS, Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis IESV.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos IESV.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

IESV audi nos, IESV exaudi nos.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Pater noſter, &c.*

℣. Sit nomen Domini benedictum,

℟. Ex hoc nunc & vſq; in ſæculum.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

DEVS, qui glorioſiſſimum Nomen IESV Chriſti Filij tui Domini noſtri, feciſti fidelibus tuis, ſummo ſuauitatis affectu

amabile, & malignis Spiritibus tremendum atq; terribile; concede propitius, vt omnes, qui hoc Nomen IESV, deuotè venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in cælis. Per eundem Dominum noſtrum, &c. Amen.

Alia Sancti Bernardi Doctoris Melliflui.

O Bone IESV, ô pijſſime IESV, ô dulciſſime IESV, ô IESV Fili MARIÆ Virginis, plene miſericordia & pietate. O dulcis IESV, ſecundum magnam miſericordiam tuam, miſerere mei. O clementiſſime IESV, te deprecor per illum Sanguinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, vt abluas omnes iniquitates meas, & in me reſpicias miſerum, & indignum humiliter veniam petentem, & hoc Nomen ſanctum inuocantem. O Nomen IESV, Nomen dulce. Nomen IESV, Nomen delectabile. Nomen IESV, Nomen confortans. Quid eſt enim IESVS, niſi Saluator? Ergo IESV propter Nomen ſanctum

Digitized by Google

ctum tuum, eſto mihi IESVS, & ſalua me, ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti. O bone IESV, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens Bonitas tua. O dulcis IESV, recognoſce quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt. O benigniſſime IESV, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine IESV, neq; omnes, qui deſcendunt in infernum. O amantiſſime IESV, ô deſideratiſſime IESV, ô mitiſſime IESV. O IESV, IESV, IESV, admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O IESV ſalus in te credentium, ô IESV ſolatium ad te confugientium, ô IESV dulcis remiſſio omniũ peccatorum. O IESV Fili MARIÆ Virginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, & humilitatem, vt poſſim te perfectè diligere, te laudare, te frui, tibi ſeruire, ac in te gloriari, & omnes qui inuocant Nomen tuum, quod eſt IESVS, Amen.

A. M. D. G.

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-55-B-3

Digitized by Google

2-4-2

Digitized by Google

F B S

O C

R. BIBLIOTECA

Digitized by Google